

Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Esoot. ffil.

Henrici Nicolai

1. Natalitia, Editio 2da.
2. Passionalia.
3. Paschalia.
4. Pentecostalia.
5. Michaelia.
6. Tractatus de Magicis Actionibus.
7. Tr. de Causa per Accidens.

D. O. M. A.

PENTECOSTALIA.

Hoc est,

De

SPIRITU S.

Ejus missione & visibili super Apostolos effusione ac beneficiis, Festoq; Pentecostes, & annexis,

EXERCITATIO SCHOLASTICA

Singularis.

Varias quæstiones Theologicas, Chronologicas, Historicas, Philologicas, ac similes, breviter & Scholasticè evoluens ac repræsentans.

AUTHORE
HENRICO NICOLAI,
Phil. & Theologo. Apud Gedanenses Professore.

DANTISCI.
Typis Viduæ GEORGII RHETII exscripta.
Anno à partu Virginis Matris, M. DC. XLVIII.



D. O. M. A.

PENTECOSTALIA.

Hoc est,

De Spiritu sancto, ejus missione & visibili super Apostolos effusione, & Pentecostes festo,

EXERCITATIO Singularis.

Quæstionum quarundam brevem & Scholasticam elucitationem continens ac repræsentans.

THESIS I.

P*Aschalibus discussis revolutio anni proximâ serie* nos ducit *ad Pentecostalia*, festa, Spiritus S. honori ac beneficiis ejus recolendis ab Ecclesiâ Christi sacrata. Resurrectionem enim Christi è mortuis *gloriosa in cœlum excepit Ascensio*, ac ascensionem *visibilis Spiritus S.* in primâ Novi Test. Pentecoste secuta est *effusio*. Ita miraculum miraculo adnexum, & beneficium unum post aliud in Christianos â DEO collatum est. Pati, mori, resurgere, & in cœlum ascendere debuit Christus secundùm Scripturas. Sed & ista omnia in Christo facta & completa esse, Vniuerso Mundo publicè annuntiari, prædicari, & offerri debuit, vt fide reciperetur. Donis & miraculis hic opus fuit, Cum Naturæ vires tanta moliri multum superaret, & humana infirmitas spiritualibus salutariter enarrandis parem se futuram non præsumere auderet. Missum ergò â Christo *donum illud augustissimum, Spiritus Sanctus*, multoties Apostolis promissum, ad vniversi

Orbis legationem obeundam sanè necessarium, ad beneficia Orbis offerenda & conferenda vtilisſimum, ad signandos parandosq́; fideles efficacissimum, ad finem animarum salutem æternam obtinendam aptissimum. Id Apostolos donis ad agendum supra hominum sortem, Naturæ vires, mortalem conditionem, instruxit, animos ad audendum invicto robore & confidentiâ armavit, sapientiam immisit, cui resistere omnes inimici eorum nequiverunt, *Luc.* 21. v. 15. Quod *Stephani* Spiritus memorabili exemplo confirmavit, *Act.* 6. v. 10. Lingvam composuit, ut totius orbis, qvaquaversum patet, idiomate magnalia DEI, & filii ejus *IEsu Christi* sonare possent, miraculorum vim suggessit, ut orbis Terrarum in stuporem raptus, prius crederet, quàm sciret, quæ, & qualia videret: efficaciam verbo indidit, ut sine vi, armis, strepitu, nudâ voce è gentibus Christiani, & filiis DEI Filii efformarentur, numerosâ prole in Christi oves aggregarentur, ac firmitatem rei Christianæ in hodiernum diem præstitit, ut inter Sathanæ, mundi, & impiorum furores, navicula Christi inconcussa perstiterit, regnum Christi quotidiè in fidelibus creverit, & in supremum usq́; diem perseveraturum sit, donec Patri â Christo illud tradendum fuerit, 1. *Cor.* 15. v. 24. 28. Hæc beneficia Ecclesiæ â Spiritu S. præstita fas est devotâ mente agnoscere, confiteri, celebrare, & discutere. Post cœtera ergò beneficia, ut *Natalitia, Passionalia, & Paschalia*, jam etiam *Pentecostalia* subjungamus & immensa æterni DEI Spiritus benefacta specialius paulò ventilemus.

2. Ut ordine semel cepto rem proponamus, Missio Spiritus Sancti super Apostolos *in præcognitione & cognitione suâ* spectanda veniat. *In præcognitione*, an fieri debuerit, *an* verè facta fuerit, *ac ubi* & qvot modis considerari possit. *Quà primum*, negant fieri debuisse omnes Athei, Epicurei, & supini verbi DEI contemtores, qui nec *Vetus* Testamentum curant, & *Novi* complementum subsannant. Nam nec promissa DEI hi æstimant, nec DEUM veracem esse credunt. Oppositum ex Prophetiis & typis missionis hujus patebit, t. 8. *seq.* Ac naturâ DEI, qui veracissimus, mendacii omnis exsors, & qui promissa immotè servat. *Num.* 23. v. 19. 1. *Sam.* 15. v. 29. *Psal.* 33. v. 4. 2. *Cor.* 1. v. 20. Promisit autem missurum se Sp. S. super fideles suos, t. 8. *seq.* *Quà secundum*, negant factam omnes *Judæi*, ut

& se-

& semiJudaisantes, qui Christum ex mortuis resurrexisse negant, ut *Seidelius*, de quo in *Paschal. t. 2.* dictum. Si enim Christus non resurrexit, nec Spiritus S. paracletus missus est. Christo enim passo suscitato, & in cœlos gloriosè se inferente mitti ille debuit. *Luc. 24. v. 49. Joh. 14. v. 16. C. 15. v. 26. C. 16. v. 7. Act. 1. v. 4. 5.* Contrarium ex prædictionibus & adumbrationibus V. T. & complemento Novi, ac descriptione historicâ ejus patet, *t. 8. seq.* Et fidem mereri N. T. ex harmoniâ ejus cum *Veteri*, quâ omnia in eo prædicta in N. completa & in Christo ejusq; rebus expedita esse ostenditur. Doctrinæ item, quam tradit, veritate, Sanctitate, soliditate, & divinitate miraculorum, quibus ista doctrina confirmata est, varietate & admirabilitate, ac mirabili doctrinæ istius per totum mundum sine ullâ vi propagatione, receptione, & mille martyrum sanguine confirmatione patet, Vt *alibi latius* doceri solet. *Quà tertium*, spectatur Effusio Sp. S. *vel ut* actus quidam divinus, quo super Apostolos ille fusus variis donis & facultatibus ipsos exornavit, Ita ad miracula Novi T. & historiam Evangelicam post ascensionem Christi pertinet: *Vel* ut ingens quoddam miraculum importat, Ita ad locos Theol. de prodigiis & miraculis referri potest; *Vel* ut thema aliquod accidentale singulare Logicè per membra sua ordinatè pertractabile est, Ita in *Praxi Logicâ* tractabitur: *Vel vt* Syllogen variarum quæstionum & materiarum Theologicè, Philosophicè, & Philologicè de eâ tractabilium suppeditat, Ita magnam partem *in præsentis disceptationis argumentum* insumetur.

3. *Præcognitione expeditâ*, cum in nomine Effusionis Sp. S. nihil, quod magnoperè monendum, occurrat, cum unum singularem & miraculosum actum notet, nec alia significata in sacris obtineat, omisso eo statim *ad rem ipsam* ordine pertractandam pergendum erit, quod priusquàm fiat, *definitio aliqua* effusionis Sp. S. pro meliore totius materiæ luce præmittenda fuerit.

4. *Effusio Sp. S. est actus divinus externus, singularis, miraculosus, quo primo die primi Pentecostes festi in N. T. exacto Spiritus S. à Christo super Apostolos, juxta promissionem Prophetarum & ipsius Christi in N. T. repetitionem visibiliter in specie lingvarum ignitarum Hierosolymis effusus est, eos dono linguarum mirabiliter instruxit, ad annuntianda mysteria fidei idoneos, alacres, ac animosos reddidit, Et paucis vicibus deindè super alias gentes credentes etjam effusus est.*

5. Actus

5. *Actus dicitur*, quia esse suum in operatione aliquâ transeunte habet, non constans aut durabilis aliqua essentia ei assignari potest, qualis in substantiis, qualitatibus, & relationibus est, sed qualis actionibns prætereuntibus & transeuntibus adscribi solet, quæ esse in fieri habent, & ubi fieri illud exactum, & esse eorum desinit. Sic & *Resurrectio Christi*, *ascensio in cœlos*, actus prætereuntes fuerunt, qvi aliquando esse suum in fieri habuerunt, Nunc tanquam præterita & olim facta sub considerationem revocantur. *Divinus actus* dicitur, quia non humanus aut creaturæ alicujus fuit, sed ipsius DEI, V. t. 19. *Externus*, quia non in ipso DEO, sed extra ad Creaturas terminatur, super quas effusus est Sp. S. *Singularis*, quia non actus vniversalis est, qvi genera aut species tanquam essentialiter inferiora sub se habeat, in quæ dividi possit, quomodo motus varia genera & species sub se habet, in quas dividitur, unde alius substantialis, alius accidentalis dicitur: Sed determinatus, individualis, semel atq; iterùm paucis aliquot vicibus repetitus, quo se spiritus S. miraculosè Apostolis aliisq; gentibus conversis communicavit, in qvibus singularibus repetitionibus ita esse sunm obtinet, ut aliud aliquod Vniversale esse ei tribui non debeat. *Qvinquies* enim in sacris super homines fusus legitur. 1. *In primâ* Pentecoste N. T. *Act*. 2. 2. *Paulò* post eam, C. 4. v. 31. 3. Samariæ, C. 8. v. 16. 17. 4. Cæsareæ, C. 10. v. 44. *seq*. C. 11. v. 15. 5. *Ephesi*, C. 19. v. 6. In his singularib esse suum habet. *Miraculosus*, Quia non naturæ & usitati ejus cursus actus fuit, sed longè super omnem Naturam, ejusq; vim & potestatem. *Nam &* Spiritum S. de cœlo visibiliter descendere, *& dono* lingvarum variarum homines in momento instruere, *&* lingvas dispertitas ad modum ignis in hominibus apparere, miraculosa omnia sunt. *Cætera verba ad differentiam pertinent*, *&* ab objecto, authore, subjecto, loco, tempore, aliisq; sumuntur, *&* t. 28. *seq*. patebunt.

6. Ita *definitio* Effusionis præmissa fuerit. Jam *effusio ipsa* secundùm Antecedentia sua, seipsam, & connexa ejus, ac consequentia, tàm propinqua, quàm remota, specialiter ac distinctè discutienda veniat.

7. *Antecedentia sunt, quæ tempore eam antecesserunt. Suntq; remotiora* & *propiora. Remotiora*, quæ longiùs eam antecesserunt. *Suntq;*

veteris

Veteris vel Novi Testamenti. Ex Veteri Prophetiæ, Typi,& historiæ nonnullæ ad effusionem hanc analogiam & similitudinem aliquam obtinentes esse possunt.

8. Ex Prophetiis prima *Esai. 44. v. 3. seq. Effundam aquam super sitientem &c. esse possit.* Ubi quæritur, *An de effusione Sp. S. id loquatur, & si de eâ, an de generali super omnes fideles N.T. an de speciali & solenni hac super solos Apostolos?* Dubium enim id varietas interpretantium reddidit. *Quidam* de generali gratiâ Sp. S. in omnes creaturas accipiunt, *ut Psal. 104. v. 10.* dictum est, vt *Calvinus com. in h. l.* Sed alienam hanc esse explicationem Contextus docet, qui de Spiritualibus beneficiis, non corporalibus, agit; Nec spiritualia ex similitudine corporalium illustrat & pingit, sed Spiritualia promittit, & de illis vaticinatur. Nec comparationem, sed consolationem populi instituit, quâ fractos eorum animos erigere intendit; Nec *de Veteri, sed Novo Testam.* vaticinatur, de vocatione nempè gentium & adscriptione eorum, super quos de novo nomen Jacob vocandum erit, v. 15. Et similia Prophetarum loca de beneficiis N. T. loquentia, ut *Ezech. 11. 36. 37. 39. Joël 2. Zach. 12.* de quibus §. 9. 10. *seq.* idem docent. Vnde â *Calvino* in istâ explicatione pleriq; ex sociis abeunt, & de spirituali benedictione in Christo copiosè exhibendâ locum explicant, vt *Tremellius, Junius, Pellitanus in h. l.* Et ex vetustioribus interpretibus multi similiter hunc locum explicârunt. Vt *Thargum Chaldaicum, V. Galatinum l. 8. d. arcan. c. ult. & l. 9. C. 2. Quomodo & R. Jonathæ* versio Chaldaica de spiritualibus beneficiis totum hoc explicat. Et quanquam locus de generali effusione Sp. S. super omnes fideles in N. T. loquatur: *Specialiter* tamen & de solenni illâ ac augustâ super Apostolos effusione accipi posse patet, 1. *Quia* hæc maximè nobilis & illustris super fideles fuit effusio, qui aliorum fidelium velut Spirituales Patres fuerunt, per quos multi Spirituales filii ad fidem & Evangelium gigni debuerunt, quales Apostolos fuisse certum est; Qvomodo Prophetiæ de variis reb. loquentes maximè de illis explicari solent, quæ illustriore modo sub rebus comprehenduntur, deq; earum Naturâ participant. 2. *Quia* in N. T. ad hunc locum alluditur, & ad effusionem Sp. S. super Apostolos accommodatur, *Iohan. 7. v. 28. 39.* 3. *Quia* Conseqventia, quæ in textu addit Propheta, iste dicit, domini ego sum, &

ille:

Ille vocabit in nomine Jacob, & hic manu suâ domino se adscribet, maximè nobili & illustri modo in Apostolis fuerunt impleta, Illi enim maximè specialiter *servi, discipuli, Comites, & Convictores Christi* fuerunt, *Matt.* 10. *v.* 24. 25. *Luc.* 22. *v.* 28. *Ioh.* 6. *v.* 67. 68. *Act.* 10. *v.* 41. Seipsos servos JEsu Christi nominârunt, *Rom.* 1. *v.* 1. *Phil.* 1. *v.* 1. *Tit.* 1. *v.* 1. 2. *Pet.* 1. *v.* 1. *Jacob.* 1. *v.* 1. *Judæ v.* 1. *Apoc.* 1. *v.* 1. Christo ad serviendum dati fuerunt, & seipsos manu sua specialiter Christo adscripserunt, vt pati, sufferre, & laborare eius gratiâ apud omnes vellent. *Matth.* 26. *v.* 35. *Act.* 9. *v.* 16. *C.* 20. *v.* 24. *seq.* 1. *Cor.* 4. *v.* 9. *seq.* 2. *Cor.* 4. *v.* 5. Ejusq; gratiâ omnia reliquerunt, *Matt.* 19. *v.* 27. *Marc.* 10. *v.* 28. Cur sub aquæ & fluenti nomine Sp. S. describatur, *t.* 59. patebit.

9. *Secundum Ezechielis* 36. *v.* 25. 26. 27. *est.* Vbi aqua munda fundenda, novus Spiritus dandus, & spiritus Domini cordibus immittendus promittitur. *Conf. & C.* 37. *v.* 14. *C.* 39. *v.* 29. Hoc similiter ut de omnibus intelligitur: Ita inprimis illustris super Apostolos effusio hinc excludi non debet, *Cum* & maximè copiosè tùm aquâ mundâ perfusi Apostoli, & Spiritum novum ac Spiritum DEI singulari & novo modo acceperint. *De beneficiis enim Messiæ* & N. T. textum loqui patet 1. *Quòd* de omnibus gentibus DEUS se Judæos reducturũ dicit. At in captivitate Babylonicâ tantùm degente Chaldaicâ reducti sunt, cum regnum Babylonicum non universę terrę esset, nec per illam captivitatem in universas terras propriè Judæi dispersi essent. Sub N. autem T. per Messiam ex omnibus gentibus ad fidem Evangelii collecti sunt. 2. *Quòd* post hanc congregationem omnes abominationes & idola DEus se ablaturum dicat, *v.* 29. At post reditum ex captiu: Babylonicâ tàm Judæi, quàm gentes in variâ & horribili idolomaniâ adhuc perseverârunt, Vt *Maccabeorum* libri docent. Sed Christi tempore & post ascensionem per Evangelium idololatria passìm eversa, & gentes fidem Christi receperunt. *Zach.* 13. *v.* 1. 3. *Quòd* ipsi Veteres Judæi de diebus Messiæ locum exponant, Vt liber *Tanhuma, V. Galatin. l.* 8. *d. arcan. C. ult. Item Rabbenu Haccadosch in libro GaleRaz. Vt c. l. idem docet. Et* Joma *Hierosolymitanum*, ut *Lyra super h. l.* testatur. Et cum de cœteris Messiæ beneficiis sat multa habeant Prophetæ, & de hac eos aliqua habere credibile est.

10. *Tertium*

10. *Tertium est* Joel 2, v. 28. 29. *seq.* Quem locum de nostrâ effusione loqui ex apertâ allegatione *Act.* 2. v. 17. *seq.* manifestissimum est, ut pluribus confirmari opus non habeat, ac ipsi *Judæi* de diebus Mesiæ dictum loqui fatentur, qvamvis Christum illum Messiam esse inficientur. Pro meliore tamen ejus sensu notandum 1. *Primam* Prophetiæ hujus partem de effusione Spiritus S. die Pentecostes peractâ loqui 2. *Secundam* partem de actibus quibusdam post effusionem illam futuris agere, & die aliqvo terribili, qvi priusquam veniat, prodigia varia & valida antecedere debere, quarum quædam specialiter enarrantur. 3. *Effusionem* Sp. S. solennem fuisse actum unum singularem, semel festo Pentecostes primo N. T. finito peractum, postea rarò repetitum. *V. t.* 4. 4. *Diem terribilem* etsi quidam diem Resurrectionis Christi intelligant, ac bonis modis eò sensum Prophetæ & prodigia ab eo memorata trahant: *Melius* tamen de die extremi judicij intelligetur, qui verè terribilis impiis erit, quo secundùm opera sua justo DEI judicio ipsis rependetur. Hoc enim & literæ Prophetæ convenientius. Ostendit enim, quid interim post datum in N. T. SPiritum S. ejusq; dona usq; ad gloriosum Christi ad judicium adventum in Ecclesiâ futurum sit, qvid hostes Ecclesiæ in sui pernitiem acturi, qvid vera Ecclesiæ membra factura, & quis rerum status futurus: Et similibus aliorum locorum ita diem illum describentium & denominantium, *Malach.* 4. v. 1. 5. *Judæ* v. 6. *Hebr.* 10 v. 27. phrasibus consentit, Et rei ipsius seriei pulcrè respondet, quòd vniversum totius Ecclesiæ N. T. statum usq; ad extremum diem brevi velut compendio comprehendat. 5. *Prodigia illa* de factis & signis quibusdam extremi diei commodè explicari posse. Vt legem olim prodigiis & terroribus DEUS confirmavit, Exod. 18. 19. Ita Evangelii promulgationem tantâ calamitatum nube obsignaturum DEum Propheta dicit, Vt totius Naturæ ordo mutatus ac eversus videri queat, Ne Christiani sub N. T. meras delitias sibi fingant, aut prospero semper cursu Evangelium perrecturum putent. *In terrâ* sangvinem DEUM daturum dicit, h. e. varia bella, strages, & persecutiones tyrannorum immissurum, quibus sangvis copiosè fundatur: *In aëre* ignem, caliginem, fulgetra, meteora horrenda & frequentia, fumorum elationes: *In Cœlo* solem versum iri in tenebras, & lunam in sangvinem ait, h. e,

prodigiosè mutatum iri luminaria, eclipses horrendas & insolitas futuras, variamq; immutationem. *V. Matth.* 24. *Luc* 20. *Apoc* 6 *v.*4. *seq.* Ita varias novas stellas nunquam antea visas in æthere his secu lis obseruavimus, Vt anno 72. in Cassiopea, an. 1600. in Cygno, anno 604. in serpentario, similiter an. 602. 607. & alias. Suntq; hæc prodigia *& vaticinantia* jnstantem diem, ut credamus, *& demonstrantia* veritatem ac infallibilitatem divinam, ut confidamus, *& certificantia* liberationem nostram, vt gaudeamus, & monentia judicii severitatem ac horrorē, ut timeamus, ac cum tremore salutem nostram operari incipiamus & pergamus. 6. *Si omninò ad tempora Christi & Evangelij* prodigia illa spiritualiter applicanda & referenda sint, spirituali sensu commodè explicari possunt, Vt *ignis* speciem lingvarum ignitarum, quib Sp. S de cœlo datus est, notet, *Solis* & Lunæ mutatio eclipsin sub morte Christi, *Signa* in terrâ saxa discissa & sepulchra aperta notent: *Sangvis* fidelium Martyrum sangvinem vel Judæorum à Romanis in vltionem occisi Christi fusum, vel figuratè gladium & ignem, quæ Christus per Evangelium in terram se missurum dicit, *Matt.* 10. *v.*32. *Luc.* 12. *v.* 49. *seq.* h. e. varias dissensiones & seditiones notet, quib. post ascensionem Christi homines se infestaturi sint: *Diei* horribilis resurrectionis diem notet, qvæ illustris, prodigiosa, inopinata, & mirabilis fuit, quomodo horribilia pro admirabilib. dicuntur. 2. *Sam.* 7. *v.* 23. *Matth.* 9. *v.* 8. Et sic consequenter. Quamvis temporis ordo in Prophetâ non præcisè servetur, qvi nec in aliis semper servatur. *V. Amos* 2. *v.* 9. 10. *Psal.* 78. *v.* 49. *seq. Psal.* 105. *v.* 27. 28. *Hebr.* 11. *v.* 32.

11. *Qvartum est Zacchar.* 12. *v.* 10. Effundam super domum David & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum. De Mesiâ & ejus in N. T. beneficiis hoc loqui ex textu ipso ejusq; verbis manifestum est, Cum ad V. T. applicari non posit. Nec tempus ostendi queat, quo tàm magnifico promisso satisfactum fuerit. *Ac Rabbini* ipsi, qvoties in Prophetis promissiones excellentes & divinas occurrere vident, qvæ supra communem sortē efferantur, ad tempus Mesiæ eas pertinere fatentur. *Et R. Dossa* planctum illum, quem immediatè verbis promissionis hujus subjungit Propheta, super Mesiâ filio Joseph futurum dicit, qui in N. T. interficiendus

ðus ſit, apud *Galatinum l. 4. C. 2. & l. 8. C. 17.* Loquitur ergò hic Mesſias Dei filius, quem confixuri ſunt Judæi in cruce, prout ad Chriſtum apertè id *Ioh 19. v 37.* accommodatur. Vt friuolum ſit, etiam Tropicè de quavis Dei irritatione Judaicâ peccatis factâ cum *Calvino in h. l.* explicare: Nec in uno textu vna vox in ſimplici enuntiato poſita duplicem ſimul ſignificationem ex propriâ & primariâ Sp. S intentione admittere poteſt, propriam & tropicám, Vt configere hic reſpectu Chriſti proprium, reſpectu DEI metaphoricum ſit: Et ſe effuſurum ſuper domum David Spiritum gratiæ & precum ait. *Effundendi* voce quid hic notetur, & cur talibus vocibus Spiritus S. collatio exprimatur, *t. 61.* conſtabit. *Domo Davidis* proceres & optimates populi Judaici, *Habitatoribus Jeruſalem* ſubditi & inferioris conditionis homines intelliguntur, Vt promiſcuè cujuſvis generis & ſtatus hominibus Spiritus S. in N. T. dandus inſinuetur, Quomodo & omnibus fidelibus, tàm Judæis, quàm gentibus, datus eſt. Et Spiritualiter tàm docentes, quàm diſcentes, Apoſtoli & auditores hic intelligi poſſunt, ut utriſq; Spiritus S. communicandus dicatur, Copioſius & illuſtriùs docentibus: parciùs & ſuo modo ac fine diſcentibus, & per Apoſtolorum ſermonem in Chriſtum credituris. Ac generalis illa communicatio primò hic intelligitur: Secundò tamen & conſeqventer & Specialis illa Apoſtolis facta, *t. 8. 9.* Spiritus voce ipſe Spiritus S. notatur, *t. 28.* *Gratiæ* vox gratuitum Dei favorem hic notat. Gratiæ enim divinæ eſt, quòd Spiritus iſte fidelibus detur: Gratia eſt, quam confert, excitat, teſtatur & obſignat in fidelium animis, & cujus ſenſum in cordibus conciliat Gratia eſt, ad quam ex irâ nos ducit, & per quam nos DEO gratioſos reddit, & in quam ſe receptos eſſe per Spiritus hujus inhabitationem in conſcientiis ſentiunt fideles: & *precum* vox ſupplicationes & oblationes ſpirituales notat, quas Nos DEO offerre debemus. *Heb. 13. v. 15.* Et *Spiritus precum* dicitur, quia fideles facit precari ad Deum, & in precibus de exauditione apud Delum benè ſperare, ac preces apud DEUM gratioſas reddit, ut effectum ſortiantur, nec in vanum miſſæ ſint Secùs nec nos ſciremus, qvomodo ritè precari deberemus, Rom. 8. v. 26. Nec de exauditione certi eſſemus, Nec preces noſtræ effectum nanciſcerentur.

 12. Ita

12. Ita *Prophetiæ* de effusione Sp. S. fuerint : Sequuntur *typi*, qvi vix é V. T. adduci posse videntur, Cum non habeamus intentionem Sp. S. in Nouo T. quod factum aut gestum aliquod é Veteri ad effusionem hanc accómodet, In quo præcipuam typi rationem esse in *Passionalibus* §. 16. dictum. Pentecostes festum in V. T. typum nostri Pentecostes in N. T. communiter facere solent. Sed nec de hujus applicatione in N. T. constat, etsi multa eorum typos nostrarum rerum fuisse certum sit. Quomodo Pascha illorum typus nostri Pascahtis, & agnus Paschalis Christi fuit, *V. Passion. c. l.* His ergó omissis ad historias V. T. veniamus, quæ analogiam aliqvam ad effusionem hanc obtinuisse videri queant. *Talis est junctio summi Sacerdotis* in V. T. & filiorum ejus, quo certo oleo ad officium inungi & consecrari oportuit. *Exod* 28. v. 7. 41. *C.* 40. *v.* 13. 15. Sic fideles N. T. tanquam Spirituales Sacerdotes, *Apoc.* 1. *v.* 6. spirituali oleo inungi oportuit, partim ad Christianismum ipsum & fidem, Vt credentes omnes, Partim ad certum in eo officium & motus, ut Apostolos. *Collatio Spiritus de* Mose in 70. seniores, Vt cú Mose onus regiminis Jsraëlitarum portarent. *Num.* 11. *v.* 16. 25. Sic Christus de suo Spiritu fidelibus suis in N. T. & Apostolis communicat, vt ad eandem gloriam tandem secum euehantur, & æternæ vitæ hæredes evadant. *Item Communicatio Spiritus* sapientiæ Bezaleel & Ahaliab facta, ut tabernaculum fœderis & quæ ad illud pertinebant, exstruerent, *Exod.* 31. *v.* 2. *seq. Sic Sp. S. fidelibus* N. T. confertur, ut seipsos viuâ fide in Spirituale DEI templum & palatium extruant, in quo DEUS jugiter habitare, & quietem suam svaviter agere possit, 1. *Cor.* 3. *v.* 16. C. 6. *v.* 19. 2. *Cor.* 6. *v.* 16. *Et collatio Spiritus legatis* Saulis & Sauli ipsi facta, ut prophetantes incederent, 1. *Sam.* 19. *v.* 20. *seq.* Ita DEus fidelibus Spiritum confert, ut salutarem mysteriorum fidei cognitionem adipiscantur, eaq́; ad salutem æternam se promoveant. Item collatio Spiritus Davidi facta, 1. *Sam.* 16. *v.* 23. 2. *Sam.* 23. *v.* 2. Et quæ similia esse possunt.

13. Ita *antecedentia remotiora V. T.* fuerunt: Seqvuntur Novi. Talia sunt Nativitas Iohannis Baptistæ & Christi, gesta ætatis & ministerii Christi, varia miracula à Christo & Apostolis in Judæâ patrata, doctrina Evangelii in Judæâ seminata & propagata, varia

item

item de missione hac in concionibus Christi prædictio, vt *Matt.* 10. *v.* 20. *Marc.* 13. *v.* 11. *Luc.* 12. *v.* 12. & *C.* 21. *v.* 14. 15. Item Iohannis Baptistæ de eâ prædictio, *Matth.* 3. *v.* 11. *Marc.* 1. *v.* 8. *Luc* 3. *v.* 16. & quæ similia, &c.

14. Sic *Antecedentia* Pentecostalis effusionis remotiora omina fuerint: Sequuntur propiora, quæ non ita longè ante eam contigerunt. Talia sunt proxima ante passionem de Spiritu S. prædictio, *Johan.* 14. *v.* 16. *C.* 15. *v.* 26. *C.* 16. *v.* 7. 13. Passio ipsa, de quâ in *Passionalibus*, Resurrectio, de quâ in *Paschalibus*, proxima ante ascensionem de Sp. S. mittendo prædictio, *Luc.* 24. *v.* 49. & in Cœlum ascensio, de quâ cum in *Paschalib.* §. 54. promissum, in *Pentecostalibus* quædam de eâ traditum iri, jam consequenter nonnulla de eâ pertexenda erunt. Felix enim illa totius itinerarii Christi clausula est, ut *Bernhardus ser.* 2. *d. ascens. dom.* vocat. Et ut homo nascendo, vitulus moriendo, Leo resurgendo, sic & aquila ascendendo Christus factus est, ut ex *Apocal.* 4. *v.* 6. 7. 8. *Gregorius homil.* 4. loquitur.

15. Spectari potest ascensio Christi, omissâ præcognitione, quæ ex ante tractatorum præcognitionib. hauriri potest, §. 2. Et nominali cognitione, in quâ peculiariter notanda pauca occurrunt, cum sensus vocis facilè constet, *in definitione, Antecedentibus suis, seipsâ & connexis, & deniq; consequentibus. Definitio hæc esse* potest: *Ascensio Christi est ascensio in Cœlum, qua 40. post resurrectionem die peracto redemptionis opere in monte oliveti sursum visibiliter per nubem è conspectu Apostolorum sublatus in cœlum gloriosè tanquam victor se recepit, triumphum de hostibus egit, ad dextram Dei consedit, & Dominus ac gubernator omnium à DEO constitutus est, nomenq; supra omne nomen in usum fidelium, terrorem infidelium, ac regimen universorum consecutus est.* Dicitur & aliàs assumptio. *Luc.* 9. *v.* 51. *Act.* 1. *v.* 2. Ex genere Ascensio in cœlum dicitur, In quo cum cœteris ascensionib. convenit, ut Enochi, Eliæ, & qui cum Christo ascenderunt. Ac meliùs genus intelligetur ex iis, quæ de *Resurrectione* dicta in *Paschalib.* §. 4. Cœtera ad differentiam pertinent, & ex Consequentibus ulteriùs patebunt.

16. *Antecedentia* sunt, quæ tempore eam antecesserunt. Suntq; V. vel N. T. Ex Veteri *Prophetiæ*, *Typi*, & *historiæ* quædam

esse possunt. Ex Prophetiis prima est *Psal.* 8. *v.* 6. 7. *seq.* Quem Psalmum de Christo loqui, non Adamo, Davide, Salomone, vel alio, ut *Calvinus* & qui eum sequntur, ac è *Photinianis* nonnulli volunt, ex Apostolorum in N. T. explicatione & applicatione *Matt.* 21. *v.* 16. 1. *Cor.* 15. *v.* 27. *Hebr.* 2. *v.* 9. *seq.* patet. Et de Messiâ intelligi *Rabbinorum* doctissimi confitentur. Ad ascensionem autem verè applicari patet. 1. *Quia* tùm plenè omnia Christo subjecta fuerunt, ac perfectè Dominus & gubernator omnium factus est, 1. *Cor.* 15. *c. l.* 1. *Pet.* 3. *v.* 22. 2. *Quia* tùm ad dextram majestatis in excelsis consedit, ac potestatem super omnia nactus est, ut Psalmus loquitur & *Hebr.* 2. *v.* 9. 3. Quia tùm nactus nomen super omne nomen est, *Phil.* 2. *v.* 9. Eoq; & nomen DEI gloriosè per omnes gentes exaltatum fuit, *Vt v.* 1. & 10. Psalmus loquitur. *Secunda est Psal.* 47. *v.* 6 *seq* Quem de Messiæ ascensione loqui doctissimi Hebræorum etiam confitentur, quamvis de terreno suo Messiâ quidam explicent. Pateтq; ex contextu 1. *Quia* ad gaudium hoc super ascensione omnes omninò gentes invitantur, non Judæi solùm aut Abrahamitæ. *v.* 1. Et principes populorum vniversìm, v. 10. non Israëlis tantùm. 2. *Quia* nec in Decalogi promulgatione, nec arcæ in templum Salomonis vel tabernaculum deportatione DEUS vnquam cum jubilo & sono subascendisse legitur, quod hic dicitur. De Messiæ ergò ascensu intelligi oportet. In Christo autem impletum esse patet, partìm quia verus ille promissus Messias est, *Natalit.* §. 13. Partìm quia gloriosè in Cœlum ascendisse in Evangelicâ historiâ expressum est. *Marc.* 16. *v.* 19. *Luc.* 24. *v.* 5. *Act.* 1. *v.* 9. 10.

17. *Tertia est Psal.* 68. *v.* 19. Quam de Messiâ loqui *Rabbini in Abath Rochel* fatentur, & allegatio Apostolica *Ephes.* 4. *v.* 8. docet. Alij *Rabbini* de Davide, alii de DEO legem laturo explicant. Quidam cædem Sennacheribi hic decantari, alii gratiarum actionem de egressu Jsraëlitarum ex Ægypto, & progressu in deserto, alij victorias Davidis cani, alii deniq; in solenni arcæ è domo Abinadab in arcem Sionis deductione canticum hic celebrari putant, Vt *Musculus, Mollerus, Beza, Paræus, aliiq;*. Sed aliena hæc vniuersa esse 1. Ex allegatione Apostolicâ patet, *Ephes.* 4. 2. *Quia* nihil istorum omnium tanti momenti fuit, vt tàm insigne carmen, tàm

tam emphaticis & illustribus verbis ac phrasibus compositum in id decantandum fuerit. 3. *Quia multa* eorum jam præterita fuerunt, quando hic Psalmus decantatus fuit, Vt legislatio, Judæorum ex Ægypto egressus & in deserto progressus, victoriæ nonnullæ Davidis, & similia. Psalmus autem hic de re futurâ loquitur, non præteritâ. Et licet verbis iisdem *v.* 1. *hic* Psalmus vtatur, quibus Moses in deductione arcæ uti solebat, *Num.* 10. *v.* 35. Non tamen de arcâ verba accipi, aut ad eam dirigi consequens est, Cum similia verba de diversissimis rebus in sacris interdùm usurpari certum sit, & hæc verba ex Mose mutuatitia esse palàm sit, Etsi non de eodē objecto loquantur. De explicatione verborum Psalmi aliàs, & apud Commentatores in Psalmos videri potest. *Quarta Michææ,* 2. *v.* 13. est, Quam de Messia *R. Haddarschan* explicat in *Gen.* 40. *V. Galatin. l.* 8. *C.* 23. Quanqvam alii aliter explicant, Vt in *Paschalibus* §. 11. dixi. Contra Judæos tamen propria sociorum confessio vrgeri potest *Quintam Zachariæ* 14. *v.* 3. *seq.* nonnulli faciunt. Et ad ascensionem è monte olivati, in qvâ Christus stetit, suis se videndum præbuit, indeq; in cœlos ascendit, dextrè, ac jucundè accomodari posse dubium nullum est, Verba tamen ita allegorica & involuta sunt, Vt meritò *Lutherus in explicatione hujus loci T.* 4. *Jen. Germ.* de sensu & applicatione fermè desperet, ac ad ipsum Sp. S. rem remittat. Judæi & Christiani varii sunt. Athanasius de ascensione Christi explicat, q. 136. ad Antiochum, quanquam librum istum non esse Athanasij *tract. d. multipræs. rei finitæ* §. 60. *docui. Alii* Patres, ut *Hieronymus, Cyrillus, & alii,* aliter. Accommodari ad ascensionem posse, cum eventus in Christo docet, tùm qvòd ad literā Prophetæ sic propiùs accedatur, omniaq; membra commodè se applicari patiantur, Tùmquòd ex ipsis Adversariis ad hunc sensum accedant, ut Ribera, qui probabilitatis plus eum habere dicit, & Pellicanus, qui totum eum de ascensione explicat, Comment. in h. l. De sensu singulor. verbor. aliàs. Hic enim omnia ad sufficientiam ob brevitatem deduci non possunt.

18. Sic *Prophetiæ* fuerunt. Sequuntur *Typi. Primus* ingressus summi Sacerdotis in Sanctum sanctorum est, Lev. 16. v. 2. Quem in eo typum Christi gessisse Epistola ad *Hebræos C.* 9. *v.* 7. *seq.* 23. 24 applicatione suâ ostendit, Membraq; applicādi varia esse possunt,

Vt

Vt alibi traditur. *Secundus ascensio Mosis in cœlum est.* Post mortem enim vicissim â DEO suscitatum cœlóq; receptum esse patet, partìm quòd nullus sepulchrum ejus aut corpus invenire potuerit, *Deut.* 34. *v.* 6. Partìm quòd in transfiguratione Christo cum Elia vivus apparuerit, *Matth.* 17. *v.* 13. Vnde jàm ante resuscitationem Sanctorum *Matth.* 28. vivum esse oportuit, non tùm demum resurrexisse, ut alii volunt. Nec credibile, Eliam vivo corpore in transfiguratione apparuisse, Mosen solo phantasmate, & specie tantùm. *Tertius Davidis ad regnum inauguratio, ac Salomonis in regem Israelis constitutio est*, quorum utrumq; Christi typum fuisse, alibi docetur. Ut illi ad regnum corporale & mundanum: Sic Christus ad regnum spirituale & cœleste per ascensionem evectus est. *Vt* utriusq; regnum constans, firmum, amplum, & victoriosum fuit: *Sic* Christi regnum constantissimum, firmissimum, amplissimum, & victoriosissimum. *Plura* collationis membra aliundè patent.

19. Sic & *typi* fuerunt: Seqvuntur *Historiæ nonnullæ.* Tales *Enochi & Eliæ in* cœlum translationes sunt, quæ ad Christi ascensionem analogiam habuerunt. Typi tamen Christi Enoch & Elias non fuerunt, Cum intentione & applicatione Sp. S. hic destituamur, in quo typi ratio, t. 12. Elias Johannis Baptistæ typum gessit, non Christi, *Malach.* 4. *v.* 5. *Matth.* 11. *v.* 14. *C.* 17. *v.* 11. 12. *Marc.* 9. *v.* 13. *Luc.* 1. *v.* 17. Jtem Ahasveros solium regium, in quo Majestaticè consedit, *Esther* 5. Sic Christus per ascensionem in throno Majestatis in cœlestibus consedit, *Hebr.* 1. Et qvæ alia cum ascensione Christi similitudinem obtinere possunt.

20. Ita *Antecedentia* V.T. fuerunt: Novi sunt tota vita Christi, Ministerium, passio, Resurrectio, Conversatio per 40. dies, & similia. Vbi quæritur, 1. *Cur 40. præcisè dies post resurrectionem cum Apostolis versari, illisq; sevivum exhibere voluerit Christus, Act.* 1. *v.* 3? Non quod singulis istis diebus quotidiè se videndum exhibuerit, Ex Evangelicâ enim historiâ contrarium colligitur: Sed quia tot dies inter resurrectionem & ascensionem intercedunt quibus aliquoties â discipulis visus fuit. Vnde non ἐν ἡμέραις, sed δι' ἡμέρων dicitur, quod interruptionem notat. *Valentiniani* 18. mensibus post resurrectionem cum Apostolis versatum nugabantur. Sed id sine Scripturâ & contra eam est, *Act.* 1. Et quinquagesimo die missio

Spiritu

Spiritus S. secuta, *Act.* 2. *v.* 1. Quòd per tot dies versatus, factum, ut veritatem resurrectionis pleniùs confirmaret, Apostolos de cælestibus perfectiùs instrueret, & animos ad ardentiorem amorem stimularet. Cur 40. præcisè dies, *Patres* horas quietis in sepulchro, aut temporalis vitę 4. tempora, referũt. Commodiùs vel ad 40. annos peregrinationis Jsraelitarũ in deserto, vel ad 40. dies præsentationis in templo *Luc.* 2. *v.* 22. vel ad 40. dies jejunii Christi, *Matt.* 4. *v.* 3 alludi, vel ex libero Christi placito factũ dicitur. *Alii* 40. annos pœnitentiæ Judæorũ usq; ad totale excidium his respici putant. 2. *Cur non continuè, sed interruptè istis diebus cum Apostolis versatus?* Ut non ad hanc vitam & conversationem animalem, sed spiritualem se resurrexisse ostenderet, desiderium sui ferventius in Apostolis conciliaret, animos eorum manifestiùs exploraret, & non resurrectionis veritatem, sed & resurgentis majestatem comprobaret, quod non ita cum illis, ut antea, conversaturus esset. 3. *Quid diebus illis cum Apostolis egerit Christus?* Comedit & bibit ad veritatem resurrectionis comprobandam. *Act.* 10. *v.* 41. De regno DEI eos instruxit, *Act.* 1. *v.* 3. Non quòd præter Scripturam novas traditiones suggesserit, ut *Papistæ* inde deducunt, sed quòd præterita plenius iterârit, planiùs explicârit, uberiùs confirmârit, & validiùs in memoriam revocârit. *Joh.* 14. *v.* 26. *Luc.* 24. *v.* 44. Vt ex Papistis ipse *Jansenius C.* 135. *Conc. Evang.* explicat. Promissum Patris exspectare jussit, mandata per Spiritum S. dedit, & curiositatem eorum de mundano qvodam Jsraelis regno compescuit, *Act.* 1. *v.* 2. *seq.* 4. *Cur crassum errorem de mundano regno non redarguit Christus?* Quidam de die judicij eos quæsiisse existimant, ut *Matthesius*. Rectiùs de mundano regno interrogasse dicuntur, sic enim de eo loqui solent, *Luc.* 24. *v.* 21. Non autem redarguit Christus, qvia brevi Spiritum S. missurus erat, qui carnalia omnia exempturus, spiritualia immissurus, veritatem omnem docturus, verosq; Apostolos & legatos Christi Spirituales ad regnum spirituale conciliaturus esset. *Sic Luc.* 22. *v.* 38. Sufficit, dicit, non probando errorem, sed intempestivitatem notando, & informationem incommodius tempus differendo. Curiositatem corrigit, & quid eos cumprimis scire deceat, exponit.

21. Sic *Antecedentia Ascensionis* omnia: sequitur *Ascensio ipsa secundùm se*, cum connexis suis. De quâ sequentia quæruntur. 1. *Cur ex monte oliveti præcise Christus ascendere voluit? Partim* ut vaticinium Propheticum de pedibus Domini in monte olivarum stantibus *Zach.* 14. v. 4. impleretur, v. 17. *Partim* ut Spirituali significato montis satisfaceret, qvi amœnissimus, fructuosissimus, & semper virens fuit, ac mons olei, cibi & medicinæ, adeoq; symbolum gratiæ & pacis fuit. Ita ascensio Christi fidelibus jucundissima, salutaris, & semper vivida est, unde contra omnes spirituales insultus cibum, oleum, & medicinam perpetuò sumunt: Et Evangelium doctrinam pacis & gratiæ futurum sic insinuatum est: *Partim ut* passionis loco responderet exaltationis locus, in monte enim Olivarum passio ceperat, in eodem & totum redemtionis opus perfecit. 2. *An verus motus localis ascensio Christi fuerit? Reformati* communiter in spectrum, disparitionem, ac evanescentiam manentis nos Ascensionem transformare ajunt. Sed omnia nostra scripta contrarium docent. A monte Olveti usq; ad nubem locali progressu, & visibili ascensu, videntibus Apostolis è loco inferiore ad superiorem Christus secundùm carnem recessit, quod emphatica Evangelistarum verba omninò volunt, quibus eam describunt, διέστη ἀπ' αὐτῶν, disjunctus est locorum intervallo ab eis, *Luc* 24. v. 51. Videntibus Apostolis *Act.* 1. v. 9. elevatus est; nubes suscepit eum ab oculis eorum: ἀνεφέρετο, ἀνελήφθη, πορευόμενος, ἀναβέβηκε, & quæ similia *Marcus, Lucas, & Johannes* hic adhibent, quibus localis motus usq; ad nubem omninò innuitur. Postea suscipiente eum nube *secuta est disparitio*. Tum enim nubes suscepit eum, non simpliciter, sed ab oculis Apostolorum, *Act.* 1. v. 9. h. e. è conspectu eorum, ut videre ampliùs eum desierint. Terminus ascensionis ad quem visibilis fuit nubes: Invisibilis cælum & altum, *Psal.* 68. v. 19. *Marc.* 16. v. 19. *Luc.* 24. v. 51. *Act.* 1. v. 10. Proprius & vltimus infinita DEI dextra in excelsis fuit, ad qvam consedit; *Marc. c. l. Hebr.* 1. v. 3. Et ad quam considere nulli angelorum aut hominum unqvam datum est, aut dabitur. *Hebr.* 1. v. 13. Ad hanc nec locali profectione, nec loci termino, aut simili aliquo opus habuit; cum in sacris ista dextra non loco, motu, aut locali conditione describatur, sed sublimitate, imperio, & maje-

state

ſtate, ut alibi docetur. Et hoc modo *quidam Noſtratium* aſcenſionem localem mutationem fuiſſe negârunt, vt plurib. alibi docebitur.

22. 3. *Quid* εὐλογία *notet, quâ Chriſtus in aſcenſione uſus, Luc. 24 v. 51.?* *Tribus* vicibus aliàs Chriſtus benedictione uſus legitur. In miraculis ſaturatorum aliqvot, *Matth. 14. Marc. 6. Luc 9.* In infantium aſſumptione, *Marc. 20. v. 16.* & in Cœnæ inſtitutione, *Matt. 26. Marc. 14.* *Quidam* nudam valedictionem fuiſſe putant. Sed plus continuiſſe circumſtantiæ docent. Solennibus precibus ſublatis in cœlum manibus Apoſtolis benedixit, vota pro futuris ſucceſſibus fudit, opus redemptionis completum eſſe inſinuavit, benedictionem morte ſuâ partam indicavit, analogiæ benedictionis divinæ in opere Creationis completo *Gen. 1.* reſpondit, ſe benedictum illum, in quo omnes gentes benedicendæ, eſſe notavit, verum N. T. Sacerdotem ſe eſſe ſignificavit, ac perpetuum ſuum munus ad dextram DEI, hominibus benedicere, futurum, adumbravit. 4. *Cur viſibiliter in cœlum aſcendere voluerit, non occultè, ut reſurrexerat?* Ut teſtes aſcenſionis ſuæ & præcones haberet, & Prophetiis V. T. ſatisfaceret, qvibus ingens gaudium ac jubilus huic aſcenſioni tribuitur, *V. t.* 16. 17. Quod rebus occultis tribui non poteſt. 5. *Cur non omnibus, ſed Apoſtolis tantùm videntibus aſcendit, Act. 1. v. 9. 10.?* Vt Moſis typo reſponderet, Qui quibusdam videntibus in montem ſublatus eſt, *Exod. 24. v. 9. ſeq.* Et exemplo Eliæ, qvi Eliſâ vidente cœlum aſcendit, *2. Reg. 2. v. 12.* Nec impii digni fuerunt, ut ſolennem iſtum redemptionis Chriſti colophonem intuerentur. *Conf. Paſchalia* t. 5 3. 6. *Quid inter Chriſti & aliorum, ut Eliæ, aſcenſionem interſit?* Varium hic diſcrimen. *Chriſtus* propriâ virtute aſcendit in cœlum, Reliqui alienâ. *Chriſtus* ut hæres & Dominus omnium cœlos occupat, reliqui ut cohæredes & in Chriſto digni: *Chriſtus* in cœlos aſcendens præſentiâ tamen majeſtatis in terris Eccleſiæ ſuæ adeſt, *Matth. 18. & 28.* Cœteri omninò terras reliquerunt, nullo modo in illis ampliùs verſantur. *Chriſtus* cœlis ipſis excelſior factus eſt, *Hebr. 7. v. 26. ſeq.* Et longè ſupra omnes cœlos aſcendit, *Epheſ. 4. v. 10.* Cœteri cœlis tantùm recepti, & in ſuperCœleſtibus cum Chriſto regnare dicuntur. *Epheſ. 2. v. 6.* Et qvæ alia eſſe poſſunt.

23. 7. *Cur nubes è conspectu Apostolorum Christum subduxerit?* Non ut adminiculum Christo ascendenti per modum vehiculi esset, quomodo currus Eliæ fuit: sed ut *partìm* majestatis Christi symbolum esset, quomodo Deus in V. T. gloriam suam sæpè nube & nebulâ demonstravit, *Num. 9. v. 15. 1. Reg. 8. v. 10. 2. Chron 5. v. 13. Partìm* præsentiæ Christi post ascensionem simulacrum, *partìm* mysteriorum Dei velamentum, ne nimìs curiosè ea Nobis scrutanda esse intelligeretur; *partìm* analogæ cuidam historiæ responderetur, Nam nube super tabernaculum eleuatâ Jsraëlitæ in deserto proficiscebantur, *Exod. 40. v. 36.* Sic Christo in nube sublato Apostoli in totum orbem ad prædicandum Evangelium proficisci debuerunt quod & fecerunt. 8. *Cur angeli de ascensione & reditu ad Judicium testantur, & quidem bini?* Qvia passim in majoribus Christi actionib. illi adfuerunt, & aliquid ad rem egerunt, Vt Nativitate, Passione, Resurrectione. *V. Paschal. §. 39* Ac majestas Christi ita declaratur, & certitudo ascensionis ac reditus ad judicium solidiùs confirmatur. Bini autem apparent, Cum ut sanctam suam ὁμόνοιαν contestentur: *Tùm ut* sic meliùs fides testimonio concilietur, Cum in ore duorum aut trium omne verum, *Deut. 19. v. 15. Matth. 18. v. 16. Tùm ut* analogiæ Cherubinorum super propitiatorio respondeatur, qui bini, *Exod. 25. v. 18.* 9. *Quo fine ascenderit Christus, & quis fructus inde?* Varius ejus finis & fructus est. Sic enim Prophetiarum complementis satisfactum est, v. 16. 17. De hostibus triumphatum est, *Ephes. 4. v. 8. Colos. 2. v. 15.* Pro nobis sacerdotaliter interceditur, *Heb. 9. v. 24. V. t. 22.* Cœlum antea ob Peccatum clausum Christo perrumpente iterùm apertum est, & divisum genus humanum ab angelis iterùm illis sociatum est, *Ephes. 1. v. 10. Colos. 1. v. 20.* Ascendit Christus ut gloriosus triumphator, fortis perruptor, fidelis intercessor, & universalis reconciliator.

24. 10. *An ante hanc ascensionem Christus homo in cœlis fuerit, indeq; descenderit? Sic Photiniani* volunt, & *Ioh. 3. v. 13. & C. 6. v. 38. 62. Catech. Racoviensis, Socinus, Ostorodus, Smalcius, Stegmannus, aliiq;.* Et maximè tempore quadragesimali eò raptum arbitrantur, ut à Patre edoceretur. *Oppositum* & Scripturæ silentio patet, quæ nuspiam istam rem habet; alioquin tanti momenti non tacitura; Et oppositi

positi memoratione, quòd cum feris fuisse, & à Sathanâ tentatum esse dicit, *Marc. 1. v. 13.* Nec ex locis istis id consequitur. Filius hominis suppositum notat, in quo duas naturas nos concurrere credimus, eoq; quædam de eo secundùm deitatem affirmari possunt, quæ non statim secundùm humanitatem debent. Qualia sunt jam enumerata. Quo sensu autem caro Christi cœlo venisse dicatur, *Joh. 6. v. 51. in Natalitijs §. 28.* dictum. 11. *An in ascensione Cœlos penetrârit?* Sic Nos communiter sentimus, & nonnulli Papistarum, Vt *Bellarmin. 3. d. Eucharist. c. 6. aliiq.* Quæstio de ascensionis modo, non ipsâ ascensione est, eoq; fidem ipsam non concernit, dum verè Christum in cœlos ascendisse constet. Nititur affirmatio istâ hypothesi, quòd cœlum solidum sit instar ære fusi, *Iob. 37. v. 18.* Non autem subtile & permeabile instar aëris. Quâ non certò probatâ parùm de penetratione istâ probari poterit. Mathematici vtplurimùm subtile & tenuissimum cœlum censent, *V. Tychonem in progymn. Aslachum l. 2. d. Cæl. c. 19. seq. Bartholinum Astrolog. n. 320. seq. Timplerum l. 1. Apsycholo. c. 3. q. 15. Keckerman. l. 2. Phys. c. 2. aliosq.* Quâ hypothesi admissâ frustra de cœlorum penetratione contenditur. *Et Job 37.* soliditatem non de duritie, sed firmitate, constantiâ, & perpetuâ dimensionis in subtilitate istâ permanentiâ explicare possumus, Vt tamen subtile & tenuissimum relinquatur.

27. 12. *Secundùm quam Naturam Christus ascenderit?* Suppositum & persona tota ascendit, sed secundùm *carnem* & humanam Naturam. Secundùm eam enim passus, mortuus, & resuscitatus est. *V. Paschal. t. 31. & Passional. t. 57. 13. Quid cœlum, in quod Christus ascendit?* Non aër, Cœlum elementare, aut ætherium; sed partìm sedes beatorum & gloriosæ DEI revelationis ac visionis, in quod Christus pro ratione veri corperis se recepit usq; ad tempus restitutionis omnium, *Act. 3. v. 21.* Sed quale illud & ubi in specie sit, tacente Scripturâ meliùs ignoratur, qvàm curiosè nimis inquiritur: *Partìm* regnum Dei & status beatissimus, in quem Christus finita mortali hac conversatione translatus est. Statum enim vehementer mutavit, & ex inglorio ac verme dominus gloriæ factus est. Vnde *sæpe in sacris verba locum notantia statum significant.* Vt, qui sursùm, *Ioh. 3. v. 31. h. e.* dominus de cœlo, *1. Cor 15. v. 47.*

vel cœleſtis, v. 48. 49. Sic Jeruſalem ſurſum, *Gal.* 4. v. 26. *h.e.* quod inSpirituali & cœleſti ſtatu eſt. Sic motificanda membra ſuper terram, *Col.* 3. v. 5. h. e. quæ terrenæ conditionis, ſtatus, ac animi ſunt. Chriſtus excelſior cœlis, *Hebr.* 7. v. 29. Non loco, ſed dignitate & majeſtate. 14. *Quid dextra DEI, ad quam Chriſtus conſedit? Quidam* ſummam beatitatem, *vt Jeſuitæ, alij* certum cœli locum, ut *Reformati, alii* certum Dei latus, vt Anthropomorphitæ, *alij* alia intelligunt. Propriè divinum regimen & imperium notat, ad quod Chriſtus admotus, vt Patris loco omnia in ſpiritualibus & Evangelium attinentibus regat, moderetur, gubernet, promoveat, & ad fines ſuos dirigat. Sic enim in ſacris dextra DEI deſcribitur, ut divinam vim, poteſtatem, & majeſtatem eâ inferri neceſſum ſit. *V. Pſal.* 118. v. 15. 16. *Pſal.* 139. v. 10. *Luc.* 22. v. 69. *Epheſ.* 1. v. 21. *ſeq.* Et ſedere ad dextram Dei per regnare explicat Apoſtolus, 1. *Cor.* 15. v. 25. Vt in dextris maxima ad agendum vis, robur, agilitas, & conſtantia hominibus eſt: Sic in Deo dextra ad agendum vim, efficaciam, vigorem, celeritatem, facilitatem, & poteſtatem DEO dignam ſignificat.

26. 15. An in aſcenſione Chriſtus corpus depoſuerit, & in ſpiritum vivificantem mutatus ſit? Ita *Photiniani*, Apellem hæreticum, unde Apellitæ dicti, V. *Pontan. Catal. hær. ſub Apellitis*, ſecuti volunt ex 1. *Cor.* 15. v. 45. *V. Smalcium co. Frantzi. d.* 3. *& de div. Chriſti, p.* 90. *Stegman. in proba, C.* 4. *p.* 252. *Oſtorodum c.* 38. *Inſtit.* §. 4. *& C.* 41. § 1. *alios*q́. Oppoſitum ex diverſis poſt aſcenſionem apparitionibus, quib. ut homo apparuit, *Act.* 7. v. 56. *C.* 9. v. 5. 10. 1. *Cor.* 9. v. 1. *C.* 15. v. 18. *Apocal.* 1. v. 13. Et inſtitutione Cœnæ, Vbi ipſa ſubſtantia Corporis & ſangvinis Chriſti edenda & bibenda legatur, vt alibi probatur, Ac reditu ad judicium patet, quo ut homo & Vir rediturus eſt, quomodo & in cœlum talis aſcenderat, ut viſuri ſint eum, qui pupugerunt eum, *Matt.* 25. v. 31. *Act.* 1. v. 11. *C.* 17. v. 31. *Zach.* 12. v. 10. *Apocal.* 1. v. 7. Locus 1. *Cor.* 15. abſtractum pro concreto ponit, quo nihil in ſacris uſitatius, Spiritum pro Spirituali viuificatore. Quomodo eodem loco Adam in animam viventem factus dicitur, qui tamen reverâ animatus, non anima factus eſt. Ac in eo Adamus & Chriſtus opponuntur, quòd ille in vitam animalem, hic in ſpiritualem natus ſit, & ſic ſpi-

ritualis

ritualis viuificator sit. *Plura hic* quæri possunt. Vt *An* in ascensione demùm Christus rex factus sit, omnemq; potestatem acceperit? Sic *ijdem* volunt. Sed Christus & ante ascensionem omnia sibi à Patre data esse asserit, Matt. 11. v. 27. C. 28. v. 19. Ioh. 17. v 2. Et à Nativitate statim Rex fuit, Matt. 2. v. 2. Ioh. 18. v. 37. *An* in ascensione demùm Sacerdotium ejus perfectum fuerit? Sc iisdem placet. *V. Smaltium d. diu. Chri.* C. 23. Oppositum ex Christi oblatione in cruce patet, vbi omnia consummata, *Ioh.* 19. *v.* 30. Ubi enim sacrificium DEO offertur, ibi consummatur. At hoc in cruce Christus egit, *Heb.* 9. *v.* 14. 26. *C.* 10. *v.* 14. *An* sancti cum Chrsto resuscitati simul cum ipso in cœlum ascenderint? Id maximè probabile est, ut in *Passionalibus* §. 51. dictum. *Cur* extra urbem munus vniversalis prædicationis Apostolis delegârit? *Matt.* 28. *v.* 19. Vt cultum DEI in N. T. non ad Urbem Hierosolymam aut templum alligatum fore innueret, sed in omni loco purum pietatis sacrificium DEO oblatum iri notaret *Ioh.* 4. *v.* 21. Et Evangelium per totum orbem perferendum esse significaret. *V. Passional.* §. 46.

27. *Ita & Ascensio ipsa cum connexis suis*: Sequuntur *Consequentia* ejus propiora & remotiora. Propiora Apostolorum Hierosolymam reversio, ibidemq; commoratio, & paucas post dies visibilis super eos Spiritus S. effusio sunt. De hac postea §. 28. hic traditur. *De illis quæritur* 1. *Cur gaudio magno Hierosolymam reuersi Apostoli, Luc.* 24. *v.* 52? *Quia nempè* jam in fide & spe cœlesti confirmatiores erant redditi, ac pro carnalib. spiritualia ampliùs sapere incipiebant. Inde mundi odia superare ac contemnere didicerant. 2. *Cur in superiorem domus partem ascenderint, ibiq; morati fuerint, Act.* 1. *v.* 13? Ita τὸ ὑπερῷον propriè reddendum, non cœnaculum, Vt *Vulgatus*, *Erasmus*, *Beza*, *Tremellius*, *aliiq;* reddunt. Nempe quia in superiore domus parte conclauia habebant Veteres ad preces, officia, conuiuia, cœtus, similiaq;. Illic ergò congregati Apostoli in oratione & deuotione continuant, & promissum Christi exspectant. 3. *Cujus domus ista fuerit? Nicephorus & Cedrenus* Iohannis Evangelistæ, *Theophylactus* Simonis Leprosi, *Baronius & Lapide in c.* 1. *Actor.* Mariæ matris Iohannis, cognomento Marci fuisse, putant, quò Petrus è carcere liberatus se contulit. *Incertum hoc*, cum

Scriptura

Scriptura hic taceat. 4. *Quænam mulieres fuerint, quæ Apostolis junctæ* *v. 14. Partim* Apostolorum uxores fuerunt, Vt Petri, Philippi, aliorumq; : *Partim* piæ qvædam mulieres, vt quæ Christum ad crucem comitatæ, circa eam commoratæ, & sepeliendi officio defunctæ fuerant. *Matt.* 28. *Luc.* 24. 5. *Cur & in templum se contulerint, Luc.* 24. *v.* 53? Vt spiritus robur ostenderent, quo jam tùm agebantur, & qvod se jam exserere incipiebat, quo acti etiã publicè Christum confiteri, prædicare, & collaudare, ac de exhibitis & promissis beneficiis gratias ei agere frementib9 adversariis auderent. Sic *Daniel* apertis fenestris ad Deum precatus est. *Dan.* 6 *v.* 10. *De remotioribus Ascensionis consequentibus* ex Pentecostes consequentibus, *t*. 58. patebit. Reliqua apud Scriptores Ecclesiasticos videri possunt. *V. Baronium an.* 34. n. 132. *seqv:*

28. Ita & *Ascensio Christi spectata, & antecedentia effusionis Sp. S. universa visa: Sequitur effusio ipsa secundùm se cum connexis suis. Vbi quædam* de re effusâ, *Nonnulla* de effusione ipsâ eiusq; modo & fine, *alia* de loco, tempore, & festo, quib. ea facta, quæruntur. *De re effusâ* sequentia quæri possunt. 1. *Quid nomine Spiritus hic intelligatur, qvando effusus esse dicitur?* Vox Spiritus varia in sacris significat. Modò DEUM ipsum in genere, *Ioh.* 4. *v.* 24. Modò aliquid ex, in, & sub isto DEO, vel Christum Deum, Vt cum carni Christi Spiritus contradistingvitur, 1. Pet. 3. *v.* 18. *Confer.* 2. *Cor.* 13. *v.* 4. *Vel* tertiam personam, qvam peculialiter: Spiritum S. vocamus, *Act.* 10. *v.* 19. *C.* 13. *v.* 2. *C.* 20. *v.* 28. 1. *Cor.* 12. *v.* 11. Modò animam Christi in cruce emissam, *Luc* 23. *v.* 46. 1. *Iohan.* 5 *v.* 8. Modò mentem hominis renovatam ac superiorem ejus vim, 1. *Thes.* 5. *v.* 23. Modò varia Sp. S. dona, 1. *Cor.* 12. *v.* 4. *seq.* Modò Evangelium legi contradistinctum, *Rom.* 7. *v.* 6. 2. *Cor.* 3. *v.* 6. Modò ventum, modò iram, furorem & vim DEI, Scripturarum intelligentiam, aut aliud quid notat. *Hic partim ipsam tertiæ personæ in divinis substantiam, partim varia ejus dona Apostolis & fidelibus communicata notat,* Vt è progressu patebit. Quando tertiam personam notat, ex additis epithetis, circumstantiis, operibus, & descriptionibus in textu aliqvo id colligendum est. 2. *An substantia in DEO sit Sp. S. an potiùs accidens?* Posterius *Photiniani* volunt, qui virtutem DEI accidentalem & donum vocant. *V. Smalcium C. Grauuer. de Sp. S. p.* 6. *&c.*

Praut

Frantz. d. 1. t. 128. Stegmannum in probl. C. 2. §. 9. Instit. Relig. C. 2. Socinum C. VViec̃kum ad C. 15. C. 10. Et olìm ita *Simoniani, Macedoniani, Origenistæ, Acatiani, Ariani*, & quotquot creaturam cum dixerunt, vim nempè à Deo variis rebus immissam, *V. Catalogos Hæreticorum*. Post eos ita *Arminiani* in plurimis fermè Photinianizantes, Vt ex *Apologiâ eorum, VVelsingio, Slatio, & Geistero* deducit *Peltius in harm. Rem: & Photin. a. 4. §. 7. 8.* Nos virtutem esse concedimus, *Luc. 1. v. 35.* Accidens esse negamus. Nec enim DEUS ex subjecto & accidente compositus esse potest ob summam essentiæ divinæ simplicitatem, infinitatem, perfectionem, Ut *alibi* probatur. Sæpè etiam *substantiæ in sacris virtutes dicuntur*. *Vt Gen. 49. v. 3. Psal. 27. v. 1. Psal. 28 v. 7. 8. Habac. 4. v. 19. Actoru. 8. v.* 10. Vt ex istâ voce accidentale quid Spiritum S. esse non statim colligendum sit. Et substantiam esse oportere patet, 1. *Quia in* N. T. peculiari instituto in nomen ejus, perinde ac patris & filii, distinctè baptisari jubentur omnes gentes, *Matt.* 28. Pater autem & Flius substantiæ sunt. Et in N. T. unquam in nomen accidentis homines baptisari juberi, aut jussum esse, nullibi ostendent *Photiniani*, Imò nec in V. T. unquam baptisari in aliquem vel aliquo, nisi de substantiâ, usurpatum reperierur. Aut contrarium instantiâ aliquâ ostendatur. 2. *Quia* solennibus testibus cœlestibus, Patri & Verbo, distinctè adjungitur, *1. Iohan. 5.* Pater autem & Verbum substantiæ sunt. Et accidentia solenniter in Cœlo testari nunquam Scriptura dicit. Imò omnes testes *c. l.* adducti, *tàm* cœlestes, *quàm* terrestres, Spiritus, aqua, & sangvis, substantiæ sunt. Spiritus animam Christi in cruce emissam notat, ut postea constabit. Hæc autem, ut & aqva baptismi, & sangvis cænæ, omnes substantiæ sunt. 3. *Quia* paracletus & advocatus dicitur, *Iohan. 14. v. 16. Et C. 14. 15. 16.* multa de eo ut substantiâ dicuntur. Nec unquam in sacris accidentia advocatos dici ostendi potest. Imò dicitur *operari per* homines, arguere *per* legem, loqui *per* Scripturam, exserere se *per* fidem, caritatem, Et accidentales virtutes ac dona conferre dicitur. *1. Cor. 12. v. 1. seq.* At nuspiam ita de accidentibus Scriptura loqui solet, ut ea per accidentia operari dicat. Vnde Spiritum S. Principium quod operationum esse patet, Ac tale quid substantia est.

29 3. *An vera in DEO & distincta persona sit?* Hoc omninò negant *iidem*, Et olim *Macedoniani, Acatiani, aliiq́*. Post eos *Arminiani*, vt *VVelsingius, Slatius, Geisterus, V. t.* 28 Et quanquam ad substantiam fidei tales termini, persona, substantia, subsistentia, &c non pertineant, vt in libris de fide Christianâ docuimus: Contra proteruos tamen negantes ac impugnantes defendi possunt, & à Sanctis Patribus olim defensi fuerunt. Ac personam verè eum dici posse patet 1. *Quia* substantia est, non accidens, ut *t.* 29. ostensum. *Vel* ergò substantia intellectualis, *vel* non intell: Non hoc, ut patet, vel enim bruta, vel non viua esset, qvorum neutrum in Deo, ut notum. E. illud. Substantia autem intellectualis completa nihil aliud, quàm persona. Hoc enim personæ voce intelligimus, substantiam intelligentis naturæ. 2. *Quia* in ejus nomen, ut in Patris & Filii, in N. T. distinctè baptisari jubemur, §. 28. At baptismus N. T. in nullius nisi personæ nomen expediri, vel ut expediatur, juberi potest, vt inductio docet, Nec contrarium instantiâ aliquâ ostendi potest. Baptismus enim N. T fit in remissionem peccatorum. *Act.* 2. *v.* 28. Et est stipulatio bonæ conscientiæ cum DEO, 1. *Pet.* 3. *v.* 3. At remissionem peccatorum nonnisi à Personâ divinâ expectamus, *Psal.* 32. *v.* 2. 5. 6. *Psal.* 51. *v.* 6. *Mich.* 7. *v.* 18. *Marc.* 2. *v.* 6. Homines ministerium annuntiandi remissionem peccatorum habent, 2. *Sam.* 12. *v.* 13. *Luc.* 24. *v.* 47. 2. *Cor.* 5. *v.* 18 *seq.* Deus authoritatem & potestatem, *Marc.* 2. *v.* 7. 3. *Quia* testari cum Patre & verbo solenniter in cœlis dicitur. *V.* §. 28. At hoc de nullo, nisi personâ, dicitur. Qusquis testis solennis in cœlo est, persona est. Et de Patre ac filio concedunt Photiniani, personas esse. Cur de solo Sp. S. tricantur, *Cum manifestè & distinctè* in testimonio illis adjungatur, ac æquè in cœlis testari dicatur, ac pater & filius? *Enallage etiam generum*, πνεῦμα & ἐκεῖνος, *Ioh.* 15. *v.* 26 de eo Scriptura N. T. utitur, quâ non nisi de personis uti solet. *V Matt.* 28. *v.* 19. *Apoc.* 7. *v.* 4, 5. *seq. C.* 11. *v.* 4. Quod & Latini imitari solent, de personis loquentes, *V. Horatiũ l.* 1. *od.* 37, *Curtiũ l.* 4. *c.* 4. *Scaligerũ ex.* 123. *aliosq́*. Vt *alibi* pleniùs docetur. Deniq; Spiritus malus est vera persona, *vt ipsi Photiniani* conceduut. Cur Spiritui S. id negetur? 4. *An & ipse essentialis Deus sit?* Hoc iidem negant. *V. c. l.* Contrà 1. *Expressè* & absolutè Deus appellatur, & hominibus contradistingvitur, nec

illis

illis solis, sed ipsi DEo Ananias mentitus dicitur, *Act.* 5. v. 4. Mentitus autem Spiritui S. erat, v. 3. Eumq; tentare voluerat, v. 9. Ejus nempè omniscientiam, an etiam sciturus esset, quòd partem pretii Ananias defraudauisset. DEum ergò hunc aut aliquid ejus esse oportet. 2. *Creatio* cœli & terræ ipsi ascribitur, *Psal.* 33. v. 6. *Iob.* 33. v. 4. At hæc ita soli essentiali DEO in sacris tribuitur, ut ab omnibus creaturis semper removeatur. *V. Natalit.* §. 13. 3. *Honor* & cultus divinus ei assignatur, qui in sacris nulli supposito, nisi divino, adscribitur. Sic glorificari spiritualiter jubetur, 1. *Cor.* 6. v. 19. 20. Ejus communicatio solennis in publico voto Ecclesiis ab Apostolo optatur, vt ipse se Ecclesiis communicare velit, & in voto isto & Patri & filio pariter ac distinctè conjungitur, 2. *Cor.* 12. v. 13. Sic & *Apoc.* 1. v. 4. *V.* §. 62 Quomodo vota spiritualia à creaturis Ecclesiis optari non solent. In nomen ejus cum Patre & filio baptisamur, *t.* 18. Per illum juratur, *Rom.* 9. v. 1 Quod nonnisi per essentialem DEum faciendum. *Deut.* 6. v. 13. *C.* 10. v. 20. *Iosu.* 23. v. 7. *Amos.* 8 v. 14 Et blasphemia spiritualis in illum distinctè committitur, vt in Filium, *Matt.* 12. v. 31. 37. *Marc.* 9. v. 29. *Luc.* 17. v. 10. At hæc propriè in DEum & divina fertur. Et Jehova ac essentialis Deus ab Jsraëlitis in deserto est irritatus, *Num.* 14. v. 11. 22. *Psal.* 78. v. 18. 19. 41. 42. 54. Sed is Spirtus S est, *Esai.* 63. v. 10. *Act.* 7. v. 51. *Hebr.* 3. v. 7. *seq.* Essentialem ergò Deum, vel aliquid ad eum pertinens, illum esse oportet, vt tertium quid, velut filius ut secundum qvid eò pertinet, vt tria in unum, & ex uno admirabili sint. 1. *Ioh.* 5. v. 7. vt *alibi* pluribus.

30. 5. *An & à filio procedat?* Hoc Græci aliquando negârunt. Sed anno 1438. in Concilio Florentino rectiùs edocti oppositum approbârunt, Quanquam postea ad pristinum errorem relapsi sunt, *Oppositum* patet, 1. *Quia* non minùs filii, quàm Patris est Spiritus, *Rom* 8. v. 9. *Gal.* 4. v. 6. *Phil.* 1. v. 19. 1. *Pet.* 1. v. 11. Vnde & Spiritus Elohim in plurali dicitur, *Gen.* 1. v. 1. vt plurium, patris nempè & filii, Spiritus esse innuatur. E. & à filio procederet oportet. Sic enim Spiritus Patris dicitur, quòd ab æterno ab eo spiretur. Et missio temporalis à Christo facta processionem æternam prærequirit, ejusq; est consequens. Nec enim persona divina mittitur, nisi ab eâ, à quâ originem sumit. Filius à Spiritu mitti dicitur,

Esai. 48. v. 16. & C. 61. v. 1. Sed non quâ Deus præcisè, sed quâ homo, aut Deus incarnatus & inhumanatus. Spiritus autem S. â Christo mittitur, ut DEus tantùm. 2. *Quia* non minùs â Filio quàm Patre datur & mittitur SP. S. *Zacch.* 12. v. 10. *Luc.* 24. v. 49. *Joh.* 15. v. 26 *C.* 16. v. 7. C. 20. v 22. Et â Filio accipit, quod revelet, *Ioh* 16. v. 14. 15. E, & originem â Filio trahat oportet, Quod in Spiritu est procedere. Missio enim temporalis originem & processionem prærequirit, ut ante dictum. 3 Per spirari â Filio, ut â Patre distingvi eum oportet, & in hoc Filio opponi, quod locum non habet, nisi simûl & â filio procedat. Aliud enim dari nequit, per quod ut oppositam relationem Sp. S. â Filio distingvatur. *VVeigeliani in V. T.* â solo Patre, in Novo etiam â Filio eum procedere dicunt, *V. VVeigel. p.* 1. *Postill. p.* 46. & *p.* 2. *p.* 59 74. Iidem ante incarnationem Spiritum servitutis, post eam adoptionis fuisse delirant, & seculum aliquod Spiritus S. ac Origenicum expectandum docent, in quo major cognitionis lux futura, quàm tempore Apostolorum fuerit. Quæ omnia hominum commenta & Scripturis adversa esse, *Psal.* 51. v. 13. *Psal.* 143. v. 10. 1. *Cor.* 12. v. 3. 1. *Pet.* 1. v. 11. 2. *Pet.* 1. v. 21. *Heb.* 1. v. 1. & *alibi* constat.

31. 6. *Cum & â filio procedat, an imago Filii dici possit?* Ita *Basilius & Damascenus* putant *ap Thomam p.* 1. *q.* 35. *a.* 2. *Gregor. Thaumaturgus apud Greg. Nyssenum & Co: â Lapide in c.* 2. *Act.* v 4. Sed impropriè ita dicitur. *Ad imaginem enim duo pertinent.* Ut ab alio productum & distinctum quid sit, & ut simile illi sit, ad cujus imitationem exprimitur, ac vi suæ expressionis similitudinem illam habeat. Spiritus S. a. licet â filio producatur, similis etiam illi sit, *non tamen vi expressionis suæ similitudinem illam obtinet.* Per modum enim Spirationis, voluntatis, & amoris exprimitur, non intellectionis, ut filius, qui per istum modum productionis imitationem similitudinis Patris habet, adeoq; propriè imago Patris dici potest, *Hebr.* 1. v. 3. 7. *An â Patre per Filium procedere dici possit?* Ita *Theophylactus, Damascenus, Basilius,* & recentiores *Græci.* Sed si spirationes duplicitas, differentia, aut inæqualitas phrasi eâ notetur, non est ferenda, vna enim, & æqualis, & indivisa est spiratio patris & filii, quâ Spiritus procedit, ut una & indiuisa est essentia: Nec Spiritus ipse duplex est, quod esset, si duplici spiratione diversâ

proce-

procederet,sed unicus & simplex: Si suppositorum & personarum Spirantium ordinem ac procedendi mediationem assignet, ferri potest, Filius enim à Patre est, non Pater à Filio, & Pater spirandi vim communicavit filio, non Filius Patri, & sic dum Filius Sp. S. spirat, & Pater mediatè per Filium spirare dici potest, adeoq; Pater per Filium, h. e. simul unà cum & in eo unâ spiratione Sp. S. producit. *Quidam* etiam principaliter Patrem spirare dixerunt, *Vt Thomas, Marsilius, Bonaventura*. Sed in priorib. tutiùs sistitur. 8. *An secundùm dona & virtutes tantùm in fidelibus habitet Sp. S. an & secundùm substantiam? Adeoq; an secundùm dona tantùm super Apostolos in primâ N. T. Pentecoste fusus sit, an & secundùm substantiam?* Prius Veterum quosdam sensisse *Lombardus l. 1. d.* 14. §. 3. tradit idemq; *Bedam* docuisse quidam volunt apud *eundem* §. 2. 3. *c. l.* *Oppositum* Scriptura testatur, quando emphaticè ipsum Spiritum Christi in nobis habitare asserit, *Rom. 8. v.* 11. 14. *seq. Gal.* 4. *v.* 6. Ubi dona Spiritus intelligi nequeunt, nec enim illa Spiritus Christi vel Patris in sacris dicuntur: Et dona à Spiritu ipso authore eorum distinguit, ac utrumq; fideles habere dicit, *Rom.* 5. *v.* 5. *C.* 7. *v.* 23. 26. 1. *Cor.* 3. *v.* 16 *C.* 6. *v.* 19. *C.* 12. *v.* 4. *seq.* Ac ipsa Spiritus substantia à Prophetis mittenda prædicta erat, *V. t.* 8. *seq.* Eamq; sibi dari petunt fideles, *Psal.* 51. *v.* 12. 13. 14. Apostolis etiam ipsa substantia Spiritus à Christo promissa erat, *Ioh.* 14. 15. 16. *V.* §. 14. & 28. Ac infideles non tantùm dona, sed ipsum Spiritū S. per peccata expellere dicuntur, 1. *Sam.* 16. *v.* 14. *Act.* 7. *v.* 51. *Ephes.* 4. *v.* 30. *Hebr.* 10. *v.* 29. Et peculiariter blasphemia in illum, ut in filium DEI, committitur, *V. t.* 29. Et nonnullos Spiritus inferni permissu DEI substantialiter obsidet, ac in illis habitat, non vim solam ac potentiam exerit, ut constat. Et Fideles ergò ipsam Spiritus S. substantiam, non tantùm dona ejus, recipere coguntur. Unde & divinæ naturæ consortes reddi dicuntur 2. *Pet.* 1. *v.* 4. Non donorum solorum. Multiq; Patres, vt *Augustinus, Cyrillus, Ambrosius, aliiq;* id docent. *Pluribus Tr. d. Commun. Sanctorum C.* 4. *t.* 4 *seq. hæc* patebunt. 9. *Cur peculiariter Spiritui S. in sacris tribuatur, quòd habitet in nobis, & nos templum ejus dicamur?* 1. *Cor.* 3. *v.* 16. *C.* 6. *v.* 19. Quia sanctificatio peculiariter Spiritui S. in sacris tribuitur, Et DEUS per Spiritum suum nos sanctificare dicitur, Ac opera Trinitatis ad

tis ad

ctis ad extra quamvis indivisa sint, & toti Trinitati communia, *certo tamen ordine & attribuendi modo distinctis in eâ assignantur.* Vt Patri potentia, Filio sapientia, Sp. S. Sanctimonia, Vt *alibi* docetur. 10. *Cur non esse, sed potiùs habitare in sanctis dicatur?* Quia etiam moratur & continuè durat in illis, quando non expellitur, & thesauros suos in illis, virtutes omnis generis, habet, quas in domibus, in quibus habitamus, habere solemus, non vicis, pagis, aut hospitiis, vbi ad tempus tantùm sumus. 11. *Cur in illis tanquam in templo habitare dicatur?* Quia templum locus sanctus Deoq; consecratus est, ac nonnisi laudibus & officiis divinis servire debet. Sic fidelis sanctum quid est, omnesq; actiones laudi DEI consecrare debet, eoq; â Spiritu Dei agitur & animatur, *Rom.* 8 *v.* 13. *seq. Galat.* 5. *v.* 16. *seq.* 12. *Quo ordine & modo in fidelibus habitet?* Primò pulsat ostium cordis nostri, *Apoc.* 3 *v.* 20. Et ut convertamur, monet, *Zacch.* 1. *v.* 3 Si pareamus non malitiosè obices ponamus, parat se ad habitandum, tenebras & peccata dispellit, fidem ingenerat, variarum virtutum dona conciliat, ac in vitam spiritualem nos transfert, ut fructus Spirituales quotidiè feramus. *Ioh.* 14. *v.* 23. *Rom.* 3. *v.* 5. *C.* 8. *v.* 2. 2. *Cor.* 3. *v.* 17. *Galat.* 5. *v.* 19. 1. *Iohan.* 3. *v.* 14.

32. 13. *Quomodo mittendus à Christo dicatur Spiritus, Ioh.* 15. *v.* 26. *cum ab æterno ab eo procedat? Nempè* quia Apostolis in tempore mittendus erat, etsi secundùm se & originem suam ab æterno à Patre & Filio procedat? Quoad Apostolos ista missio futura erat, eoq; verbo futuri temporis Christus utitur. Nondum enim ita solenniter & visibiliter super Apostolos fusus erat, Qvia Christus nondum plenariè clarificatus erat, *Ioh.* 7. *v.* 39. 14. *Procedere & ἐκπορεύεσθαι an proprietatem personalem Sp. S. constituat, ut nulli alii in divinis competat, quàm soli illi?* Ita *Patres* nonnulli, ut *Damascenus & alii*, qui & inter ἐξελθεῖν & ἐκπορεύεσθαι, exire & procedere distinguunt, illudq; Filio, hoc soli Sp. S. competere docent. Sed qvanquam sensus hic bonus esse queat: *Vsus tamen Græci sermonis in sacris* non semper hæc distinguit. ἐξελθεῖν non qvidem de Spiritu S. reperitur: ἐλθεῖν tamen & ἐπελθεῖν etiam de temporali Sp. S. missione usurpatur, *Luc.* 1. *v.* 35. *Act.* 1. *v.* V. 8. Et

τὸ ἐκπορεύεσθαι etiam filio Scriptura tribuit, *Marc.* 10. *v.* 17. 46. Aliisq; rebus creatis, *Matt.* 15. *v.* 11. 18. *C.* 17. *v.* 21. *Marc.* 1. *v.* 5. *Luc.* 3. *v.* 7. *Ephes.* 4. *v.* 29. Et promissis divinis, *Matt.* 4. *v.* 4. Rectiùs proindè ad peculiarem significandi modum in ἐκπορεύεσθαι de Spiritu S. usurpatum *Ioh.* 15. *v.* 26. & *totam phrasin*, quâ Sp. S. â Patre procedere dicitur, respicitur, ut in eâ peculiarem potestatem & significationem verbum istud nanciscatur, ut internam & æternam Sp. S. â Deo processionem notet, etsi generaliter alias varia significata obtinere, & de variis rebus usurpari possit. *De temporali Sp. S. missione* Scriptura non ἐκπορεύεσθαι, sed ἐπελθεῖν usurpat, vt ante visum. Quomodo voces in sacris de certis materiis sæpiùs peculiaria significata sortiuntur, etsi aliàs de aliis adhibitæ longè alia habeant, *t.* 25. Ita verba in divinis adsignificant tempus, sed longè aliud, ac in naturalibus, *Vt d.* 7. *Gym. Log. t.* 26. *Et decad.* 1. *Miscel. d.* 1. *t.* 35. *seq.* dictum 15. *An Melchisedecus, cujus Gen.* 14. *& Hebr.* 6. *&* 7. *mentio, Spiritus S. fuerit?* Sic præter varias aliorum sententias. Ut cum *quidam* Semum, *alii* Enochum, alii Cananæum & alienigenam, sed ad Deum conversum, *alii* totum hoc ignotum esse putant, ut *alibi* docebitur, *Nonnulli* censuerunt, ut *Melchisedeciani apud Epiphan. hær.* 55. *Et author quæst. V. & N. T. q.* 109. *ap. August. T.* 4: Sed aliené. *Omnis* enim sacerdos ex hominibus sumitur, *Heb.* 5. *v.* 1. Melchisedech sacerdos fuit E. & homo. Spiritus aut Sanct. non homo est. *Tum & rex dicitur*, & quidem determinatæ urbis, *Salem*, ac ut talis hominibus tùm temporis notus fuit, decimas ab illis accepit, benedixit ut sacerdos hominibus, & *historicè* ea de *Melchisedeco* recensentur, adeoq; historicè & propriè accipienda, non metaphoricè. At hæc omnia *in Sp. S.* non qvadrant. *Quis autem hominum fuerit, dicere difficiles est.* *Cameron hoc* quærere, id quærere esse ait, quod DEUS scire noluerit, *in c.* 7. *ad Hebr. Tom.* 3. *Op.* Hic satis est, *Sp. S. non fuisse*, ostendere.

33. *Ita fuerunt, quæ de re effusâ quæri possint: Sequuntur, quæ de effusione ipsa ejusq; modo, fine, loco, & tempore.* De eâ sequentia quæruntur. 1. *Cur nullus Evangelistarum in Evangelio effusionis Sp. S. super Apostolos meminerit?* Solus *Lucas in Actis c.* 2. eam describit. In 4. Evangeliis nihil de eâ reperitur. *Ratio* esse potest, *Vel* quia post Ascensionem ea contigit: Evangelistæ autem vitam & gesta *ipsius*

Christi:

Christi in his terris in Evangelio describere proposuerunt, quæ usq; ad Ascensionem pertingunt, inq; eâ finem habent, *Marc.* 1. v. 1. *Luc.* 1. v. 2. *Iohan.* 20. v. 30. 31. *Act.* 1 v. 7. Ulteriùs progredi & gesta primæ Ecclesiæ post Ascensionem describere aliis committere ipsis visum fuit: *Vel quia* satis esse duxerunt, promissum Christi de mittendo Sp. S. Evangelicis scriptis inserere, *Luc.* 24. v. 49. *Ioh.* 14. v. 16. 17. C. 15. v. 26. C. 16. v. 7 13. Complementum promissi aliis describendũ reliquerunt: *Vel quia* Evangelistis adhuc viventibus jam Lucam Acta Apostolica scripturum noverunt, in quibus distinctè effusio illa tradenda esset, vt ad illa miraculum istud remittere, nihil ejus Evangeliis suis inserere necesse judicârint. *Matth.* an 24. *Marc* 61. Lucas an. 52. & Acta Apostolica an. 60. 61. ut alii volunt, scripsit, Tum enim 5 annus Neronis fuit, quo Paulus biennium captivus fuit, quod Lucas attingit, Et in quo concludit, *Act.* 28. v. 30. Quo tempore Evangelistæ cœteri omnes in vivis adhuc esse potuerunt, & librum istum scribendum esse prænoscere. 2. *Cur à Lucâ in Actis præcisè hæc historia notata?* Quia ut Evangelia acta Christi describunt: Sic hic Liber acta Spiritus S. in Apostolis, per eos, & super illis inprimis describere debuit, Unde *Chrysostomus* librum dogmatum de Sp. S. & *Oecumenius* Evangelium Spiritus S. vocat. Æquum ergò fuit, ut miraculosa ejus effusio distinctè in eo traderetur. 3. *Cur Sp. S. ita visibiliter effundi voluerit?* *Partim* ut prophetiis V. T. t. 8. *seq.* & promissis Christi in N. T. t. 13. ita satisfieret: *Partim* ut majore vi ex sua præsentia & assistentia Apostoli ita fiduciam conciperent: *Partim* ut omnes fideles de perpetuâ Christi apud Ecclesiam assistentiâ certiores redderentur, quam visibili Spiritus sui missione dignatus fuerat: *Partim* ut analogon aliquod ad Christi apparitionem perficeretur. Vt enim Filius Dei amore hominum carnem induit, in eâ cum hominibus versatus est; Sic post Christum visibiliter & Sp. S. amore fidelium descendere voluit, linguis igneis quodammodò incarnari, & quæ Christus in Judæâ ceperat, per Apostolos in totum Orbem disseminare, ut pluribus alibi.

34. 4. *Quid sonus & spiritus ipse fuerit, quo effusus Sp. S?* Non fuit ventus naturalis aut exhalatio aërem commovens: secùs totam urbem Hierosolymam perflasset, ut venti solent, non domum solâ, in

quâ

quâ Apoſtoli congregati, quod v. 2. dicitur: Sed *fragor aliquis vehemens* extraordinariè in aëre commotus, & in domum Apoſtolorum miſſus, eamq; concutiens, flatum aliquem comitem trahens, etiam miraculoſè â DEo in id excitatum, ut præco & indicium adventantis Spiritus S. eſſet. *Vehementia* ejus deſcribitur, cum 1. *Tanquam Spiritus vehementis* fuiſſe dicitur, violentus enim fuit, & cum violentiâ ac impetu in domum irruit, Vt vehementia, efficacia, & impetus Sp. S. in Apoſtolos adventantis notaretur, quo efficaces, animoſi & impetuoſi ad Orbem convertendum illi reddendi erant. 2. *Repentè factus dicitur.* Quia inexpectatus & improviſus irruit, Nec tempus determinatum ipſis Apoſtolis præciſè notum fuit, *Act.* 1. v. 5. Etſi non prolixum fore ſciebant. Hoc gratia, efficacia, & penetrantia eius notatur. Neſcit enim tarda molimina Sp. S. gratia, ut *Veteres* canunt. 3. *Et de Cælo factus dicitur.* Quæ cœleſtia ſunt, mirabiliter efficacia & penetrantia ſunt, ut in fulmine videmus. Et in Sacris vehementiam ac intenſionem notat de cœlo vel cœleſtem eſſe, vel in cœlum pertingere, *V. Luc.* 15. v. 18. *Iohan.* 3. v. 12. 31. *C.* 6. v. 31. *ſeq. C.* 8. v. 23. *Pſal.* 36. & 86. 1. *Sam.* 5. 2. *Chron.* 28. *Esd.* 9. *Et alibi. Quo* Cœleſtis ejus origo, ad cœlum deductio, ad cœleſtia præparatio, & Cœleſtis in Apoſtolis in duces, medicos, turres, athletas, paſtores, Doctores, & ſimiles conformatio notatur, ut *Chryſoſtomus hom.* 1. *in Pentec.* explicat.

35. 5. *Cur ſonitu effundi voluerit?* Partim ut Symbolum Evangelii daret, quod ſonus eſſe debebat per Apoſtolos in omnem terram effundendus, *Pſal.* 19. *Rom.* 10. *Partim* ut animos fidelium ad deuotè excipiendum & admittendum Sp. S. excitaret. Solemus enim ſonitu mirabili vehementiùs percelli & commoveri: *Partim* ut Judæos per urbem ſparſos fragore iſto commoveret, ut ad domum Apoſtolorum concurrerent, & quid ageretur, adſpicerent, Illi enim ſonitus hic incubuit, & in eam latus eſt. Sic ubi fragore fulminis domus aliqua tacta eſt, homines accurrere ſolent, & quid agatur, explorare. 6. *Cur tanquam vento & flatu vehementi?* Partìm ut ratione eſſentiæ ſe ſpiritualem flatum Patris & Filii eſſe notaret, unde flatu Sp. S. Chriſtus communicat, *Ioh.* 20. Partim ut inſenſibiliter, celerrimè, validisſimè, mirabiliter, & ſalutariter

se operari posse insinuaret; Quomodo venti & flatus in naturalibus solent, *Iohan.* 3. v. 13. Ventilant aërem, ne putrescat, nubes & pluvias locis adducunt aut abducunt, plantas & sata fovent ac vegetant, æstum refrigerant, habitum hominis & animalium renovant & reficiunt, naves propellunt, Spiritus hominis generant & immutant, vires interdum, valetudinem, & fœcunditatem conciliant, &c. Idem Sp. S. in Spiritualibus spiritualiter præstat: *Partim* ut varietatem donorum in Apostolis adumbraret, *efficaciam* commotionis in Apostolis & prædicatione eorum indicaret, *ad* flatum DEI, quo vita homini inspirata, *Gen.* 2. alluderet, *Et necessitatem* ejus in spiritualibus denotaret.

36. 7. *Cur sonitu isto vehementi Apostoli & fideles non perculsi?* Quia gratiæ & salutaris adventus ejus, in quo omnis suavitas, illis erat indicium, non iræ & furoris. Ad amorem, desiderium, & reverentiam Spiritus ipsos excitavit; & quales ipsos ac cœteros fideles esse oporteret, vehementes nempè in studio salutis & virtutis, ut vim patiatur regnum cœlorum, *Matt.* 11. v. 12. *Luc.* 16. v. 16 indicavit. Et sciebant, flatu Christum Sp. S. dedisse, *Ioh.* 20. Hoc sonitu præsente flatum illum salutarem ac solennem non longe abfuturum præsentire poterant. Sic Elias non timebat ventum petras diffindentem, 1. *Reg.* 19. v. 11. Quia sibi sine periculo futurum sciebat. 8. *An & cæteri auditores eo perculsi? Omninò.* Nam & omne vehemens & insperatum percellere solet. Et sic his etiam contigit, v. 6 Et magis id auctum, Cum etiam ignotas linguas viros idiotas & Galilæos sonare audierunt, & ingenti magnanimitate ac virtute de Evangelio Christi testari eos perceperunt. Unde turbatam fuisse concionem v. 6. dicitur, h. e. ita commotam, ac admiratione & timore perstrictam, ut quid, quantum, & quale esset, quod viderent, satis assequi non possent. *V. t.* 47.

37 9. *An ipsa substantia Sp. S. super Apostolos effusa, an Virtus & efficacia tantùm quædam? Ipsa substantia* unà cum efficaciâ. Sic enim & cœteri fideles ipsum Sp. S. inhabitantem, non tantùm dona ejus, habent. Magis de solenni hac & primâ N. T. super Apostolos effusione id cogitandum: *Et* ad munus Apostolicum ipso Sp. S. ductore & doctore, non donis tantùm ejus, opus habebant, eoq; ipsus à Christo ipsis promissus erat, &c. *Conf. t.* 31. 10. *Cum jam ante à Chri-*

à Christo Sp. S. acceperint Apostoli, Joh. 20. v. 23. Quomodo jam in Pentecoste demùm illis detur? Quidam verba *Johan.* 20. sic intelligunt, ut accipere Sp. S. idem sit, ac ad accipiendum idoneum fieri, ut *Chrysostomus, Theophylactus, aliiq́.* *Sed* textui id parum conveniens est, & jam antea ad accipiendum Sp. idonei erant Apostoli. *Rectiùs Joh.* 20. illis datum fuisse dicitur ratione sanctificationis, renovationis, Spiritualis intellectionis, & donorum ministerii Evangelici. Nam & peccata remittendi potestas illis datur, quæ ministerialis est: *In Pentecoste ratione admirandorum ad miracula patranda donorum, invicti ad prædicandam fidem de JEsu crucifixo roboris ac animi, & plenæ ad universalem mundi legationem facultatis ac potestatis,* longeq́; majoris in variis donis incrementi & gratiæ, ac antea, datum fuisse, ut inter omnes mundi gentes propriis lingvis fidem annuntiare, & inauditis miraculis confirmare possent, ac omni facultate ad id agendum ad miraculum usq́; instructi essent, Quomodo Sp. S. ante non datus erat, Quia Iesus nondū clarificatus erat. *Joh.* 7. *v.* 39. Eleganter *Augustinus tr.* 74. *in Johann. Habebant Apostoli Spiritum minùs, dandus erat eis ampliùs,* habebant occultè, accipiebant manifestè, quia & hoc ad majus donum Sp. S. pertinebat, ut eis innotesceret, quod habebant. 11. *Cur non specie columbæ apparere voluerit, Ut olim ad Jordanem, Matth.* 3. *v.* 16? *Quia* non ad testandum de Christo hic apparet, ut ibi, adeoq́; figurâ Christo respondente se videndum exhibet, verè enim hic innocentiâ, miti animo, & mansuetudine columba fuit, *Esai.* 42. *v.* 1. *seq. Matt.* 11. *v.* 29. Sed ad loqui & prædicare, convertere & subigere Orbem docendum, inde specie ignis & lingvarum apparet. Orbis enim lingvis loqui, & in se mutuò intimâ caritate flagrare, ac instar ignis verbo penetrare, & miraculis impios consumere debebant Apostoli. V. t. 33.

38. 12. *Cur sedentibus Apostolis superfusus fuerit? Ut quietem* & collectam mentem optimum recipiendi Spiritus S subjectum & vehiculum esse notaret, sedendo enim, ut Philosophi, ajunt, anima fit sapiens: *Vel* si sedere generaliter hic commorari & degere est, credibile, vel genibus nixis, vel stantibus, precibus uacantibus, DEumq́; invocantibus superfusum esse, ut propè se invocantibus DEum esse significaret, *Conf. t.* 41. 13. *An solis Apostolis, an*

& reliquis fidelibus superfusus? *Beza* ad solos Apostolos restringit, *Cajetanus* Mariam virginem excludit *ap. Corn. à Lapid. in 2. Act. v. 4.* Et specialiter quidem Apostolis promissus erat, *V. t. 14.* Generalius tamen & aliis fidelibus superfusum esse ex *C. 1. Act. v. 14. 15.* patet, Vnanimiter enim isti in oratione & cultu perseverârunt, *v. 14.* Et ita omnibus perseverantibus Sp. S. supervenit, *Act. 2. v. 1.* Ac nominatìm piæ mulieres & Mater Domini recensentur, *Act. 1. v. 14.* Et 120. simul referunturur, *v. 15.* Ut 12. Apostolis quidem datus fuerit, sed decuplato numero. Decies autem duodecim faciunt 120. Qui est numerus omniū fidelium tùm temporis collectorū, & Sp. *S.* perfusorum. Et in *V. T.* etiam super filias Sp S. fundendum prædictum erat, Joël 2. *v.* 18. Ac à Christo in N T. idem repetitum, *Marc. 16. v. 17.* Similiter *Luc.* 24 *v.* 49. ubi Apostolis Sp. S. promittitur, illis & apud alios fideles ac Emaunticos collocutores adfuisse constat, *v.* 33. Quibus simul Sp. S. promissus, & sic hic collatus. Hoc modo & *Cyprianus, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, & Augustinus* omnib. fidelib. tum congregatis superfusum docent. V. *Lorin. in c. 2. Act. v. 1.* Ita etiam primis Ecclesiæ seculis donum illud piis datum fuit. Sic *Irenæus* quosdam se audiisse scribit, universis lingvis loquentes, *l. 5. c. 6.* Cur non de Universis fidelibus statìm post ascensionem illud credamus?

39. 14. *Cur lingvis dispertitis apparuerit? Variè* illud dispertitum redditur. *Vel* dissectum in partes, *vel* mobile & flagrans instar ignis, *vel* diffusum & multiplicatum, quomodo flamma modò major, modò minor est. Sic quasdam gentes dissectis lingvis præditas *Dio. Sicul. l. 2. c. vlti.* tradit, unde simul cum duobus loqui possint. Quanquam *prudentiores* fabulosum hoc habeant. *Lingvis apparuit,* ut lingvarum ministerio & dono Evangelium in omnes gentes annuntiandum esse doceret, se loquendi Apostolis magistrum futurum ostenderet, qui *&* vocum in lingvis cognitionem, *&* earum significationem, *&* organorum ac potentiarum ad loquendum habitudinem ac dexteritatem ad voces promptè formandas, *&* perfectam mysteriorum fidei agnitionem, quæ per lingvas annuntiari debebant, *&* prudentiam spiritualem, quà prouidè per tot difficultates & varietates actus & sermones ad hominum salutem dirigerent, *&* animum heroicum, quo aggredi auderent

auderent,& superare cuncta possent, suppeditaturus esset, ac se veram Trinitatis lingvam esse notaret: Ut enim verbum mentis vocem lingvæ producit: Sic à Verbo in divinis Sp. S spiratur, *t.* 30. *Aliaq;* innueret, quæ lingvæ beneficio inter mortales expedimus, Vt sapores discernere, cibos humectare & masticare, docere, confirmare, noxia dispellere. *Dispertitis apparuit vel dissectu, vel* ut reverâ bifidæ uel trisulcæ fuerint, quales animalib. interdum linguas esse authores notant, *V. Pliniū l.11.C. 37. Virgilium l.3. Georg.* Et hoc ignis apparentiæ pulchrè respondet, qui ex nube violenter in fulgure erumpens sectili & multiplici specie apparere solet. *Vel* ut non unâ linguâ, sed variis Apostolos se instructurum, & in omnem terram Evangelium ipsos prolaturos esse insinuaret.

40 15. *Cur ignitis, vel tanquam ignis? Vt se amorem* subtilissimum, efficacissimum, & agilimum esse notaret, novam Christi legem caritatis & zeli proChristo ardentissimi doctrinam fore insinuaret, Apostolos instar ignis penetraturos, & gentes ad fidem commoturos indicaret, quomodo Eliæ verbum instar ignis & faculæ fuisse dicitur, *Sirac.* 48. *v.* 1 Et verbum DEI in genere igni comparatur, *Jeremiæ* 23. *v.* 29 Et se torporem ipsorum animis exemturum, vim, robur, & agilitatem immissurum, mentes eorum ab omni erroris inquinamento purgaturum, & acre lumen illis suggesturum esse, insinuaret. 16. *Qualis ignis iste fuerit, an verus, an adumbratus tantùm? Quidam* verum fuisse putant, quòd subtilitati, agilitati, & penetrationi Sp. S. convenientius hoc, & 70 sicut sæpè veritatis, non imminutionis sit, *Ioh.* 1 *Probabilius contrarium*, & adumbratum fuisse dicitur, ac linguas speciem & similitudinem ignis in rubeo colore, fulgore, volubilitate, motu, & vibratione habuisse, Ut linguas non veras humanas & carneas fuisse notetur, hæ enim crassæ nimis & inhabiles adSpiritum S. repræsentandum fuissent, qui subtilissimus est, sed igni similes, ejusq; speciem referentes, perindè ac si ex igne efficta fuissent, quâ specie Apostolis insidere, & sic apparere voluit Sp. S. Sic enim & *v.* 2. non naturalis ventus fuit, sed extraordinarius, §. 34. Et columba, in quâ ad Jordanem apparuit, *Matth.* 3 præternaturalis & in speciem assumpta fuit: Et linguæ non humanæ & carneæ, sed adumbratæ fuerunt: Ac si naturalis ignis fuisset, afflasset haud dubiè &

combusfiffet pilos & capita Apoftolorum. quod factum non legitur. Vapor & aer denfior, cui rubea lux inftar ignis indita, & in lingvæ fpeciem conformata fuit.

41. 17. *Cur in lingvæ maximè modum & pyramidalem figuram igne m hunc DEus conformare voluerit?* Ut notetur, Spir. S. tanquam ardorem aliquem mentes acuere, profunda Dei penetrare facere, fubtilisfimè & acutisfimè difcipulorum corda fubire & permeare, ad cœlum & cœleftia afpirare facere, quomodo pyramis in acumen & altum affurgit, lingvis eorum ad mentes penetrandas acrem efficaciam fubminiftrare, & donum difcretionis Spirituum ipfis communicare, quo mentes penetrare, affectiones cordium dignofcere, illisq; congruè ad falutem loqui, prædicare, & fubvenire posfint. 28. *Quid federe fuper fingulos eorum notet? Idem* ac inftare, quiefcere, incumbere, & incubare. *Propriè* nec ignis, nec lingva, nec Spiritus S. nec ventus, aut fonus fedent, qui potius agitatus totam domum perflavit, *t.* 34. 35. Sed in igneis iftis lingvis Sp. S. repræfentatus Apoftolis velut incubuit & incubauit, agitans, movens, ac impellens, variisq; donis eos adimplens. Undè fingulari numero *fedit*, non plurali, *federunt*, dicitur, Unus enim in omnibus lingvis iftis Sp. S. fuit, & una velut lingva totalis fuit, fedin varias partiales difpertita, quæ fingulis infedit. Et communiter *Patres* capitibus Apoftolorum lingvas infediffe cenfent, *Quamvis* alii in os eorum eas fe inferuiffe putent. *Sediffe autem dicitur Sp. S. partim* ut fe Apoftolis aurigam currus & gubernatorem navis futurum oftenderet, qui federe folent: *Partim* ut fe regem & dominum effe notaret, qui imperare, flectere, & movere queat, & qui etiam in fignū Majeftatis refidere folent, quomodo Apoftoli pro throno Sp. S. fuerunt: *Partim* ut novas coronas fpirituales per igneas linguas capitibus Apoftolorum imponendas, ipfosq; cœleftes doctores cœlefti fapientiâ & facundiâ inftructos effe infinuaret, & hoc modò publicè ad munus eos auctoraret: *Partim* ut in ipfis & fidelibus fe quieturum & conftanter permanfurum, non ab illis receffurum, nifi malitiofè excuffum, indicaret, *Ioh.* 14. *v.* 16. Quomodo fedentes alicubi durare folemus, ftantes poft pufillum recedere: *Partim* ut animi & appetitus tranquilitatem, mentis ftabilitatem, & morum maturitatē in Apoft. fignificaret. *Conf. t.* 38.

42.

42. *Quidam & hoc symbolo Orbis Episcopos* eos effectos docent, Vt *Hieronymus*, *Dionysius*, *Amianus*, *Turrianus*, *aliiq́*. Sed rectiùs id eos jam *Ioh.* 20. *v.* 21. 22. factos dicitur. Hic in omni gratiâ confirmatos & largissimè ea repletos esse asseritur. *Conf. t.* 37. *Quidam* & maotem cognitionis & fidei lucem effusione & sessione ista illis insufflatam esse putant, Ut *Rathman* ingegenber, *C. Jenens*, *Censuram*, *n.* 34. Sed nec textus id dicit aut habet, & effusioné, sessioné, apparentiâ tradit, quæ aliud quid notârunt, ut *t.* 33. 41. visum: Nec in luce cognitionis Scriptura N T. inflatū aut afflatum usurpat, sed alia verba, ut φερόμενοι, agitati, acti, impulsi à S. S. 2. *Pet.* 1. *v.* 21. non ἐνθεσιασμένοι vel afflati; θεοδίδακτοι *Ioh.* 6. *v.* 45. Christus Apostolos insufflat, *Ioh.* 20. Sed Spiritui Sancto nusquam ista vox in N T. ubi de Apostolis agit, tribuitur. Doctrinam confirmavit S. S. per verbum antea auditum, iterùm suggestum, ac repetitum, *Ioh.* 16. 14. 15. *C.* 14 *v.* 26. Non afflatus sine verbo. Nec Cœteri fideles, in quos etiam S. S. visibiliter effusus, *V. t.* 5. & 38. interno afflatu sine verbo afflati & ad fidem ducti fuerunt, ut de Apostolis id non sit præsumendum. Et quicquid luminis aut illuminationis passivè acceptæ in Spirituali cognitione Sp. S. in Apostolis conciliavit, in, ex & per Scripturam & verbum, non immediatos afflatus, raptus, aut ecstases perfecit. Sic enim & ipsi Apostoli per verbum probârunt, Christum Messiam & filium DEI esse, *Act.* 2. 3. 10. 13. & passim, ac ita cognitionem de Christo animis insinuarunt: Et ipsos ergò per idem medium cognitionem illam adeptos fuisse oportet. Miracula magis media visibilia doctrinæ confirmandæ, quàm fidei salvificæ in animis generandæ fuerunt. Unde ex immediatâ doni miraculorum communicatione ad immediatam fidei illustrationem consequentia non procedit.

43. 19. *Quomodo Spiritu S. repleti esse dicantur? Quia* miraculosorum donorum plenitudinem jam accipiunt, quam antea ita non acceperant. Quisq́, pro gradu & capacitate accepit, alius majorem, alius minorem, pro officio, gradu, ac dispositione sua, quâ ad recipiendum idoneus erat Sic vasa majora & minora replentur aquâ: Sed majora plus ab capacitatem majorem capiunt minoribus Sic prout officium difficilius & intricatius alius præ alio subire debe-

bat,

stat, plus donorum ad id necessariorum præ alio sortitus est. Ac ubi pleni Spiritu velut musto facti sunt, continere se non possunt, quin dona sibi data statim promant, & in laudes DEI erumpant. Sic Maria, *Luc.* 1. *v.* 46. Et Zaccharias, *v.* 67. *seq.* 20. *Cur lingvis præcise loqui inceperint Apostoli?* Quia lingvarum donum inprimis communicatum erat, meritò organo eo, quo sonus in homine formatur, primò omnium expromi debuit, quod lingva in homine. Et quia per eam gratiæ DEo aguntur, meritò prima ea in homine sonat, cum tantum Dei beneficium maximè gratiarum actione dignum esset. De Evangelio etiam & Spirituali benedictione per totum Orbem fundendâ aliquid connotari potuit.

44. 21. *Quomodo variis lingvis locuti Apostoli, an ut ipsi distinctas lingvas protulerint, an ut unâ quidem locuti fuerint, sed quæ à variis gentibus variè audita & intellecta fuerit?* Posterius eligunt *Arator, Cyprianus, Chrysostomus, Oecumenius, aliiq́.* Vtrumq́; fieri potuisse *Thomas sec.* 2. *q.* 176 *Lapide in c.* 2. *Act. p.* 71. *& Sanctius in C.* 2. *Act.* censent. *Prius* recipiunt *Cyrillus, Augustinus, Ambrosius, Nazianzenus, Leo, Gregorius, Brentius, Calvinus, Gualtherus, aliiq́.* Estq́; probabilius. *Partim* enim textus id habet, qui aliis linguis, quàm suâ patriâ, Apostolos locutos ait: *Partim*, quia aliàs miraculum in auditoribus magis fuisset, quàm Apostolis, quòd illi unam in se lingvam vario modo intelligere, quisq́; pro suo sensu, potuerit, Cum tamen in Apostolis fuisse omnes circumstantiæ arguant: *Partim* stupor & admiratio audientium id docet, quòd isti Galilæi, ad discendas ac sonandas lingvas exoticas aliàs tardiores & hebetiores, jam varias & exoticas lingvas distinctè & congruè sonent, unde Apostolos ipsos variè locutos consequitur: *Partim* cæterorum irrisio id postulat, qui musto plenos eos censuerunt, quasi fœcundis calicibus rigati ita in lingvis prompti evasissent, Vnde Apostolos ipsos diversas lingvas sonuisse oportuit: *Partim* à Christo prædictum erat, ipsos Apostolos & fideles variis lingvis locuturos, *Marc.* 16. *v.* 17. Et Esajâ C. 28. *v.* 11. Vt Paulus explicat 1. *Cor* 14. *v.* 21. Et idem seipsum lingvis magis, quàm alios, locutum dicit, *v* 18. Ac Ecclesia in hymno Pentecostali id agnoscit: *Linguis loquuntur omnium, Turbæ pavent gentilium.* 22. *An simul variis lingvis locuti,*

an successivè? Successivè: Alterum enim variam confusionem importasset. Nec quæ de quibusdam simul binas lingvas loquentibus recensentur, veritati consentanea sunt. Unus modo hac, modo aliâ & aliâ lingvâ locutus est Vel, *Andreas* Parthicè, *Jacobus* Persicè, *Thomas* Arabicè, *Johannes* Græcè, *Petrus* Latinè, *Matthæus* Germanicè, *Philippus* Hebraicè locutus. Vel quivis alias interdum lingvas sonuit, prout causa vel occasio lingvâ aliquâ utendi postulauit.

45. 23. *An lingvarum totius Orbis notitiam acceperint Apostoli? Principalium*, & qvæ matrices velut cœterarum sunt, quales Latina, Hebr. Græca, Germanica Slavonica, & similiter. Totius enim Orbis omniumq; gentium Doctores destinati erant eoq; ad minimum principalium lingvarum notitiâ instructi esse debuerunt. *Secundarias* & dialectos lingvarum ut calluerint, necesse non fuit. Cum potiores gentes principalib. utantur, & ex his Secundariæ ac dialecti lingvarum facilè percipiantur, & infinitæ hæ in orbe sint. Ita in unâ valle Jndiæ occidentalis 700 lingvas, si dialectorum varietates spectes, numerari *Epistolæ Jndicæ docent*. Quot autem principales lingvæ sint incertum est. *Gesnerus in* Mithridate 72. numerat. *Alii* 70. secundùm totidem familias ex Noe post diluvium prognatas, Gen. 10. *Alii* 55. secundùm numerum familiarum, quæ totidem. *Vide Cor. à Lapide in C. 10. Gen. Baronium sub an. 34. n. 241. seq. Pontanus & Lansius* in Europâ 11. matrices lingvas superesse ajunt. *Alii* aliter. Res incerta ast, & labentibus seculis ex principalibus multæ aliæ prognasci, multæ etiam novæ adinveniri potuerunt. 24. *Quid illud, prout Spirtus eloqui dedit Apostolis*, v. 4? Nempe quia certis gradibus & modo dona ista Sp. S communicauit, uni majus, alteri minus, prout officii ratio necessitas, vel alia occasio requisivit. Omnibus ad prædicandi necessitatem donum lingvarum copiosè datum est: Non tamen æqualiter & ad gradus paritatem, *v. 43*. Et eloqui in Græco est ἀποφθέγγεσθαι, quod *emphaticum est*, & non solùm eloqui, sed *sententiosè ac eleganter gnomas & apophtegmata proferre est*, Ut sententias diuinas graues, cœlestes compungentes corda & mouentes, inflammantes, & spiritu succensas protulisse intelligantur, quibus magnalia DEI annuntiarint. *Quidam* essentiam divinam velut per transennam eos

hic inspexisse putant, in eaq; verba arcana & ineffabilia audiisse, Vt *Jac. de Valentia aliiq.* Sed id improbabile est, & nulli Prophetæ & Apostolo, nec Paulo ipsi in hac vitâ contigit. *Exod.* 33. *v.* 20. 2. *Cor.* 12. *v.* 4. 1. *Tim.* 6. *v.* 16.

46. 25. *Quinam Viri religiosi Hierosolymis habitantes, ex omni natione terræ, v.* 5? Non illi, qui fixum domicilium Hierosolymis habuerunt, Incolæ enim hi, Cum Nostri advenæ aut illis similes fuerint, & â Judæis ac proselytis distinguantur, *v.* 10. 11. Sed qui *vel* festi Pentecostes & cultus in eo DEo præstandi gratiâ, *Vel* alium in finem ad tempus eò convenerant, ibiq; morari vellent. Quomodo quidam Romam, Lutetiam, aliaq; loca adeunt, vel lustrandi, vel studiorum, vel negotiandi causâ, ibiq; ad tempus morantur, donec iterùm recedant. *Religiosi* dicuntur, non quòd votis religionis specialiter constricti essent quomodo apud Papistas tales in specie vocantur: Sed â virtute religionis, Cui proprium est, DEO cultum suum juxta præscriptum reddere, Et qui etsi gentibus immisti essent, nihil tamen impietatis moribus suis admiscuissent, sed cultus Judaici tenaces Deum Hierosolymis eo afficere voluerunt. Sic *mirâ DEI providentiâ* advenæ hi confluxerunt, ut *mirorũ Spectatores, auditores, & annuntiatores* eò plures essent, & se convertendi, suisq; quæ viderant, annuntiandi, causâ haberent & ita prædicationis Apostolicæ per totũ Orbẽ disseminatores essent. *Ex omni Natione sub cœlo fuisse dicuntur,* non absolutè, quòd nulla natio in Orbe, unde non quidã tùm ibi, Nam ex Americanis aut Germanis nullus fortassè, ex Chinensibus aut Iaponensibus paucissimi ibi: *sed secundùm subjectam materiam, in quâ nempè Judæi degerent.* Ita sæpè in sacris absolutè positum secundùm subjectam materiam intelligi debet, Ut *Luc.* 2. totus orbis, nempè Romanus, *V. Natalit.* 1. 16. Totus mundus *Ioh.* 12. *v.* 19. nempe Judaicus. *Sic Esdræ.* 1. *v.* 2. Omnia regna terræ, nempe Assyriacæ & Chaldaicæ. Sic *Esai.* 13 *v.* 5. Disperdet omnem terram, Sc. Babylonis, *v.* 19 Degebant autem Judæi tùm temporis non in Palæstinâ tantùm, sed in *Asiâ, Africa, & Europâ,* ex cujus variis provinciis venire potuerunt. Præcipuè autem 15. memorantur, Parthia, Media, Elam, &c. *Vel* quia præcipuæ Orbis partes hæ, *Vel* quia majore numero ex iis Hierosolymam Judæi confluxerant.

47. 26. *Quomodo convenisse multitudo dicatur, v. 6?* *Quia* facto sonitu,flatuq; vehementi quasi tubâ sonorâ ad conclave Apostolorum, cui incubuit, §. 35. excita est, ibiq; cum varias Apostolorum lingvas audiret, fama, ut in novis & mirabilibus solet, per urbem ferventiùs, copiosiùs,& constantiùs sparsa, plures adduxit, qui rei novitate perculsi, stupere & admirari ceperunt, quidnam futurum esset. Et interiùs etiam Spirit.S. fortè impulit, ut causam sonitus illius diligentiùs inquirerent, sicq; miraculum pluribus innotesceret. 27. *Quomodo confusa esse eadem dicatur? Variè* hoc explicatur. *Quidam* stuporem & admirationem, & reverentiam super miraculo; Quo sensu & *Syrus* reddidit, conturbata est, nesciens nempè, quid, unde, & quorsùm illud, quod audiebant & videbant, *Alii pavorem conscientiæ* notari putant, suggerentis occisionem Christi, & pœnam sceleris, *Alii commistum esse*, *alii pudore* confusum super Christo occiso esse, quem Deus nouo prodigio jam glorificet, *alii* tumultuari explicant, quasi in tumultu hominum ad insolitum spectaculum confluentium *alii* stupuerint, *alii* rogârint, *alii* murmurârint, *alii* irriserint. Ex omnib. aliquid esse potuit. 28. *Quomodo quidam irriserint, & musto plenos Apostolos dixerunt, Cum sub Pentecoste & Majo nondum uvæ in Palæstinâ maturæ sint, v. 13.? Nempè* quia ut impii contemtores operum DEi agunt, omnia subsannant, & per calumniam in deterius rapiunt. Unde non curant, *an appositè ad temporũ circumstantiam dicant*, sed ut maledicè saltem dicant, q. d. Isti ebrii esse ac insanire videntur, perinde acsi mustum bibissent. Nullum mustum aliâs est, quod determinatam ignotarum lingvarum notitiam ignoranti conciliat, *Sed* magis inebriat & cerebrum turbat. *V. Plinium l.* 14. *c.* 20. *Vel musti nomine hic non verum mustum*, sed vetus vinum, verùm per artem dulce factum, quod Græci ἀειγλευκὲς vocant, intelligendum veniat.

48. 29. *An spiritualiter ebrii Apostoli fuisse dici possint? Omninò.* Et ita verum dicunt subsannatores isti, sed non ad suum sensum, sed alienum & Spiritus S. Quod enim in hominibus ebrietas facit, ejus simile quid Sp. S. in Apostolis egit. *Vt ebrietas* rationem naturalem tollit, amicos non agnoscere, curare, omnia con-

temnere facit, homines inflammat, ebrii per plateas discurrunt, eructant vinum, cantant, loetantur, clamant, animosi & pugnaces, insani sunt: Sic in Apostoli spirtualiter similia facta. Vinum animæ, Verbum DEI, eructarunt, nil timerunt, ut tubæ in Orbe sonuerunt, omnia Christo subjugârunt, infidelitatem ubivis prostraverunt, Sathanam ejusq; arma oppugnârunt, & mundo ac mundanis insani visi sunt, *Act.* 26. v. 24. 30. *An quòd Petrus primus loquatur, v.* 14. *prærogativam ejus præ cæteris inferat? Ita Papistæ* communiter, *Bellarminus, Costerus, Gretserus, à Lapide, Sanctius, Lorinus, alii.* Sed ordinis prærogativam ad summum inde deduxeris, quam Nos, ut & ætatis, majoris dilectionis & zeli in Christum, senilis judicii & prudentiæ præ cæteris, & similem Petro facilè concedimus: *Jurisdictionis* inde nullo modo sequitur, quam tamen ipsi intendunt. *Ita inter pares Collegas* unus primo loco loqui potest, inter peregrinos unà convenientes unus præ aliis sermonem sociare potest, quib. tamen nulla in cœteros jurisdictio, Cum pares omnes esse queant. *Conf. Paschalia* §. 52.

49. 51. *An apposita satis super ebrietate Petri excusatio de tertiâ diei hora, v.* 15. ? Omninò. Tertia enim ab ortu solis hora fuit nostræ 6. vel 7. respondens, quà *moderatiores & honestiores Judæi* nihil quidquam ciborum adhuc sumere solebant, sed ad sextam usq; iejuni perseverare solent, quo tempore prandii tempus esse solet, Vt *Josephus in vitâ suâ* notat. Ducit ergò *Petrus* argumentum Topicum ex more prudentioribus Judæorum saltem usitato, & quod usu frequens apud eos fuit, ut tertiâ diei horâ non facilè quisquam potu usus fuerit, minùs ut ebrietate & crapulâ demersus esse possit. *Nec hoc loco* rationem commodiorem aut graviorem adferri necesse fuit. Ebriosi n. contrà agentes semper reprehensi. Eccles. 10. v. 16. Esai. 5. v. 11. Et Apostoli Pentecostes festum totum orationibus & pietatis exercitiis consumpserunt, *Act.* 1. v. 14. C. 2. v. 1. Ut de crapulâ matutino tempore suspecti esse nequierint. Solebant enim Judæi diebus festis jejunia servare, & ante horam 6. non prandere. *V. Suetonium in August. C.* 76. *Conf. Act.* 10. v. 9. 10. Hic autem festus dies fuit. *Dices: Horæ æstiuales apud Judæos longiores erant hyemalibus*, Itaq; tertia diei hora in 4. diei partem procurrit, quo tempore cibum cepisse non est inconveniens,

&

& in Apostolis, qui idiotæ & piscatores erant, ac manu quæstum faciebant, non incredibile est, qui & manè comedere solent. R. *Topicum hoc argumentum est*, ab eo sumptum, quod plerumq; & usitatè fit, non apodicticum & ab eo, quod nullo modo aliter fieri possit *Etsi horæ* æstivæ longiores, tamen festis diebus ante 6. Judæis cibus sumi non solet, Eoq; nec piscatoriæ aut manuariæ rei opera data est, ut ob eam matutinâ refectione Apostoli opus haberent. Et isto tempore jam operas suas reliquerunt, & ad munus Apostolicum se contulerunt. *Act.* 1. *v.* 13. 14.

50. 32. *Quomodo prodigia & dies terribilis* Joel. 2. *memorata ad effusionem hanc quadrent, & de eâ à Petro allegentur, v.* 12. *seq.* Act. 2.? *V.t.* 10. 33. *An appositè locus* Joëlis *à Petro ad effusionem hanc adducatur? Ruffinus in* Joëlem totum illum locum de Ezechiæ temporibus accipi putat, & Petrum non satis propriè ad hanc effusionem applicuisse vult. Sed hæc impia est sententia, & allegationi Petri prorsùs contraria, multisq; *Patribus, ut Hieronymo, Theodoreto, Chrysostomo, Oecumenio,* Justino *& Hilario, & Rabbinis etiam quibusdam* adversa, qui de Messiæ diebus hunc locum explicant, ut *R David. & R.* Jesua. 34. *Quid virtutibus, prodigiis, & signis, quibus Christus probatus dicitur, intelligatur, v.* 20? *Varii variè* hæc distingvunt. *Miracula* universìm per ea intelliguntur, quæ virtutes dicuntur, quia opera virtutis & potentiæ Dei sunt: *Prodigia*, quia portentosa & stupenda sunt: *Signa*, quia res præsentes vel futuras significant. *Quidam* signa miracula in morbis sanabilibus edita, prodigia in insanabilibus, & virtutes imperium in Diabolos explicant. *V. Balduin. in c.* 15. *Rom. v.* 19. *Alii* aliter. 35. *Qomodo Christus definito Dei consilio traditus dicatur, cum multa nefaria à* Judæis *hic commissa, v.* 23? Consilium & definitio Dei ad mortem, passionem, *& mortis finem*, redemptionem nostram, spectat, debuit enim Christus pro nobis pati & mori, *Esai.* 53. *v.* 8. *Ioh.* 11. *v.* 51. 52. Non actionem Judæorum, & ea, quæ ipsi egerunt, quæ per manus iniquorum gesta; *Matth.* 26. *v.* 45. *Luc.* 22. *v.* 53. *Act.* 2. *v.* 23. *Actio displicuit, passio grata fuit.* Definitio ad mortem, præscientia ad acta Judæorum respicit. Et utrumq; Petrus conjungit. Pluribus *d.* 6. *dec.* 2. *Miscel. Coroll:* 1. vide. 36. *Quâ veritate de Apostolis illud* Joëlis *dici possit, quòd visiones viderint, & somnia divina somniârint, v.* 17. *Cum eo tem-*

pore nihil horum adhuc vidissent? Nempè Prophetæ verbis legis & sui temporis describunt res Evangelicas & novi temporis. Sic cum gentes in Christum credituras dicunt, omnes ad montem Sion affluxuras, cum fidem Christi per totum orbem fundendam, in omni loco nomini Dei oblationem offerendam dicunt. Sic *nostris verbis* Turcarum cultum explicamus, cum Turcam preces ac vesperas suas celebrare dicimus, cum reverâ id non faciant. Sic *Joël* cum credentes salutarem Dei cognitionem habituros dicere vult, per Prophetias, visiones, & somnia id explicat. sub lege enim maximè istis tribus modis voluntatem suam Deus revelavit, *Num.* 12. *v.* 6. Sic in Novo Testamento Apostolos aliosq; credentes tantâ Evangelii luce imbuit Sp. S. ut Deus per somnia aut visiones hominibus V. T. loquens, clariùs sua manifestare nequierit. *Prophetia* rarum & insigne intelligentiæ donum notat, *Visio* internam illuminationem, & *somnium* spiritualem animi commotionem. *Sed etiam propriè voces sumendo* multas visiones & somnia pii in N. T. habuerunt, ut *Josephus, Paulus, Petrus, Magi, Virgo Maria,* multi etiam Prophetârunt de futuris, ut *Maria, Elisabetha, Zaccharias, Simeon, Filia Philippi, Agabus, Paulus, Petrus, Iohannes Evangelista.* Et in Historicis Ecclesiasticis etiam quorundam est mentio post Apostolos, qui donis istis instructi fuerunt. Vt *Abbas Joachimus, Hussus, Lutherus, Quadratus* apud Athenienses ap. *Nicephorum, Iesus Anani ap. Josephum*. Antonius Eremita ap *Sozomenum*, Uldaricus, Odulphus aliiq; ap. *Micrelium l.* 3. *hist. Eccl.* q. 23.

51. Ita *effusio ipsa secundùm se & connexa sua* fuerit: sequitur *locus & tempus* ejus, quibus facta. *De quibus* sequentia quæruntur. 1. *Qualis domus fuerit, in quâ facta, & an cœnaculum præcisè, in quo Apostoli congregati?* De hoc §. 27. actum. 2. *Cur totam Apostolorum domum sonus vel ventus replesse dicatur?* Ut notaretur, in solâ istâ domo peculiare miraculum editum iri, non reliquis, & solos istius domus incolas Sp S. istâ vice mirabiliter perfundendos, non cæteros extra eam, etsi aliis vicibus & super gentes Sp. S. effusus fuerit. 3. *Cur Hierosolymis in impiâ & infestâ Christo urbe tanta effusio facta?* Ut *partim* Prophetarum, *partim* ipsius Christi prædictio compleretur, *V.* §. 11. 14. *Partim* salutis prædicatio ex eâ ortum traheret, quod etiam prædictum erat: *Partim* locorum impietatem

DEi

DEI destinatis obstare non posse, nec electis eam fraudi esse debere, nec impios ullâ majorum prærogativâ, vel beneficiorum singularium majestate defendi posse, ostenderetur, quò minùs peccatis cumulatis â DEO tandem evertantur. Sic Hierosolyma funditus tandem euersa â Romanis fuerunt, etsi & Prophetas & Christum ipsum, & Sp. S. visibiliter effusum habuerint.

52. 4. *An Pentecoste exactâ, an durante & inchoatâ Sp. S. effusus?* *Lucas* in compleri diem Pentecostes factum ait, *Act.* 2. *v.* 1. Quæ Phrasis & de re exactâ & durante adhuc interdum sumitur. *Hic* si exactum diem notat, Judæorum Pentecoste intelligi possit, eamq; exactam fuisse dici potest. Ita ut vespera, quæ sequentis post Judæorum Pentecosten diei initium esset, inciperet, & nox appeteret, ac in matutinum tempus etiam ista elapsa esset. quo tempore flatus venit, & Sp. S. effusus est. *Tertiâ* enim diei horâ â summo mane & ortu solis fuit, quâ Petrus concionem suam exorsus est, *v.* 15. Ante quam jam effusio facta, & Apostoli variis lingvis jam magnalia Dei prædicaverant. *Sed rectius inchoatum diem, nondùm exactum* notare dicitur, ut Sp. S. in ipsâ Pentecoste N T. venerit, & quinquagesimo â resurrectione Christi die, qui Sabbatho post Pascha Judæorum, diē nempe Dominicâ, surrexit, *V. Paschal. t.* 35. Ut hæc 50. ab illa die dies etiam Dominica fuerit, ac vera N T. Pentecoste, quam pro eâ postea celebrârunt Apostoli in honorem Spiritus S. hoc die effusi, effusionis agnitionem, & tàm illustris beneficii perpetuam memoriam & commemorationem. Unde Pentecoste in Italiâ *Pascha Sp. S.* vocant, ut prius Pascha Christi resurgentis est, Ut *C. â Lapide in Act. p.* 32. notat Unde ut Pascha Christianorum, & dies proximè Pascha Judæorum sequens resurrectione Christi summo mane è mortuis suscitati nobilitatum est: Sic *Pentecoste Christianorum*, 50. ab illâ resurrectione dies, proximè post Pentecosten Iudæorum sequens, visibili Sp. S effusione imprimis nobilitata est. Et Pentecosten Christianorum, non Iudæorum â *Lucâ C.* 2. intelligi patet, 1. *Quia* ut in Paschate Christianorum â resurrectione Christi numerato historiam Evangelicam finit & concludit, C. 24 Ita hic in Actis ab illâ statìm Pentecosten Christianorum numerare credibile est. Scripsit enim hæc 28. post ascensionem Christi annis, aut circiter, *V.* §. 33. At tùm temporis

ris Pentecoste Iudaica abolita, & ubiq; celebris erat Christiana, Cujus originem & gesta in eâ hic Lucas describit. 2. *Quia Christiani* nomen Pentecostes in N T. audientes aut legentes, non Iudaicam, sed suam, h. e. Christianam Pentecostem intelligebant. At Christianis maximè Acta hæc scripsit *Lucas*, non Iudæis. Unde & Græcè scripsit, non Hebraicè. & originem Christianismi ejusq; sacrorum & festorum describere vult, non Iudaismi. E & more Christianorum Pentecosten intellexit. 3 *Quia C.* 1. v. 3. quadraginta dies usq; ad Ascensionem Christi à resurrectione numerat. E & 50 Pentecostes ab eadem. At hæc Pentecoste Christianorum est. Imò toto illo capite 1. se de mysteriis & gestis Christi, quæ Christiani in Paschate & Pentecoste aliisq; festis recolant & celebrent agere ostendit. E. & Pentecosten Christianorum C. 2 non Iudæorum intelligit. 4. *Quia* Christiani Pentecosten suam ad imitationem primæ *Act.* 2. descriptæ celebrant E. *Act.* 2. Christianam, non Iudaicam intelligi necesse est. Quare phrasis, In compleri diem Pentecostes, rectiùs de re durante adhuc capitur, Vt sensus sit: Cum advenisset Pentecoste, scil. à Resurrectionis die numerata dies 50. *Et compleri deberet, nondum autem completa esset*, effusus est Sp. S. visibiliter super Apostolos.

53. *Alii omninò in Pentecoste Veteri Sp.* S. effusum putant, eamq; à *Lucâ* notari putant, quòd & notum diem ille notare voluerit, qualis Iudaica Pentecoste, Cum nostra, ut noua, obscurior & ignotior esset: *Et ideò* adduxerit eam, ut probabile faceret, ex omni Natione Iudæos ad eam diem Hierosolymam confluxisse: *At* si ex nostris terminis assignare voluisset potiùs ascensionem, tanquam proximè præcedenti capite notatã C. 1. v. 3 9 quàm Resurrectioné assignaturus fuisset. Sed utramq; Pentecosten, & nostrã & Iudaicam eo tempore in unum diem concurrisse ac in dominicũ diem eo anno incidisse unde & nos numeremus. Hoc tamé discrimen esse, *quòd Judæi* à secunda azymorum exclusivè numerent; nos à Dominicâ die Resurrectionis inclusivè, sumendo ipsam Resurrectionis diem pro prima inter 50. dies usq; ad Pentecosten. *V.* in hanc sententiam *Sanct um in C. 2. Act. n. 13. sequ. Confer Bellarm. 3. d. cult sanct. C. 13.* Sed hic nonnulla conjecturis nixa sunt, ut quòd 2. dies azymorum præcisè excludenda

sit,

sit, nostram Pentecosten eo tempore, quo Lucas hæc scripsit, obscuram & ignotam fuisse, Contrarium enim verum est, §. 52. Et potiùs ex Ascensione terminum petendũ. Non enim Lucas 50. diem præcisè nominat, quasi ea ab ascensione numeranda, sed Pentecosten tantùm ut festum aliquod dicit, quod 50. diem à Paschate semper fecit, non aliundè. *Alii* Pentecos: eorum tum in domin. diẽ incidisse putant. *Alii* Pentecostes diem Apostolorum tempore non fuisse festum censent, *ap. Pol. Virgilium l. 6. d. Invent. C. 8.* Hoc falsum esse ex hoc *C. 2. Act. & C. 20. v. 16.* patet. Nec n. ita Hierosolymam festinasset *Paulus*, nisi eum diem apud Christianos sacrum esse scivisset. *Alii* aliter, & in multis incerta hæc, & conjecturis saltem nituntur.

54. 5. *Quid inter Christianorum & Judæorum Pentecosten intersit?* Multum. Judæorum antiquior est, & jure jam abrogata: Nostra recentior, & ad finem Orbis jure durabit. Illa à 2. die azymorum paschatis numerabatur, *Lev. 23. v. 15. 16.* Nostra à die, quo resurrectionem Christi recolimus. *Illa* à certo die primi mensis 16. vel 17. nempè numerari inchoabatur, & in tertium mensem incidebat; 15 enim die primi mensis semper Pascha Judæorũ, & ab altero die numeratur quinquagesimus dies, *Levit. c. l.* Quicunq; septimanæ dies ille sit, & iste est Pentecoste Judæorum. *Nostra* incertum diem, mensem, à quo numerari inchoëtur, habet, prout nostrum Paschale festum mobiles terminos habet, & modò in Martium, modò in Aprilem, modò citiùs, modò seriùs in istos menses incidit. Ita & Pentecoste nostra modò in Majum, modò in Junium, & incertos mensium istorum dies incidit. Quamvis semper in dominicam incidat. *Illa* ad panes primitiarum offerendos celebrabatur, *Lev. 23. v. 17.* *Nostra* in memoriam effusionis miraculosæ & honorem Sp. S celebratur. *Illa* uno die tantùm celebrabatur, *Lev. 23. v. 21.* Non per 7. dies continuabatur, ut communiter *Postillatores* contendunt, præeuntibus *Tullo Crispoldo Cõm. in Acta, & Authore histor. Scholasticæ in C. 2. Act.* *Nostra* per tres dies celebratur. *Illa* diu post religionem Judaicam institutam & receptam demùm instituta: *Nostra* statìm post promulgatam post ascensionem fidem Christianam cepit, & huc usq; apud Christianos continuata est, Et quæ similia esse possunt. Sic Act. 20. v. 16.

1. Cor. 16. v. 8. Pentecostes mentio, Quod de Christianâ Pentecoste *Epiphanius hær.* 75, exponit. *Ac antiquissimi Patres, Clemens, Irenæus, Tertullianus, & Origenes* ejus meminerunt, *V. Bellarm. 3. d. Cult. Sanct. C.* 13. *Ut* immeritò ei iniquior *Danæus c. Bellarm.* sit. Ut *alibi* pluribus.

55. 6. *An rectè Christianorũ Pentecoste* 50. *post Pascha die celebretur?* Quidam 49. censent, cum Judaicâ *Pentecost.* Lucas *Act.* 2. intelligat, Nec aliam intelligere potuerit, cum alia in usu tùm non esset Sed omninò rectè 50. die celitor, ut r. 54. 55. patuit. Nostra enim Pentecoste ab die resurrectionis incipit, & post diem Pentecostes Judæorum incidit, qui simul inclusivè numerati faciunt 50. dies. *V.* § 54. 7. *An in Judæorum Pentecoste lex in Sinai lata?* Hoc apud *Postillatores nonnullos, Hieronymum, Bedam, Rabanum, Rupertum, itemq; Commentatores è Papistis, Lyranum, Tostatum, Hugonem, Cajetanum, C. à Lapide, Menochium, Sanctium, Barradium, E Reformatis Gualtherum, Calvinum, Ex Nostris Brentium, Arcularium, aliosq;* classicum est. Sed ex sacris *vix satis liquidô* constat. Pro quo notandum, *duplici sensu* id dici posse. 1. *Ut quinquagesimo die* ab exitu ex Ægypto lex lata sit, quæ Pentecoste dicatur ob numerum 50. non ob festi eo tempore jam tùm factam constitutionem. 2. *Ut ipsâ festivitate Pentecostali Judæorum* lex lata sit. Et ita *Postillatores* pleriq; festum Pentecostes Judæorum cum nostro contendunt. *Priore* sensu sententia admodùm incerta, *Posteriore* falsissima est. *Incerta*, non enim satis liquidò constat, 50. præcisè ab exitu diem esse eum, quo lex in Sinai lata. Tertio enim mense, & tertio ejusdem die, ut maximè probabiliter sentitur, in desertum Sinai venerunt, ubi jam dimidius mensis à primo mense, quo Pascha 14. die celebrârunt, superest, Et eadem nocte ac die 15 ab Ægyptiis expulsi sunt, *Exod.* 12. *v.* 6. 28. 33. Restant ad finem mensis, qui 29. dierum fuit, 15. dies. Secundus mensis 30. dies habuit. Tertio die 1. mensis in desertum venerunt, & 3. die postea lex lata, *Exod.* 19. *v.* 11. Qui simul aggregati faciunt 51. non 50. Quòd si primo die tertii mensis in desertum venerunt, ut *Augustinus & alii* volunt, tertius post eum dies erit 49. quo lex lata. Ita numerus iste quinquagesimus non satis constat, Ut incertò admodùm dicatur, Pentecoste Judæorum, h. e. die 50. ab exitu legem datam. *Aliter* hæc res in prima editione *Decadis* 2. *Miscellan.* supputata fuit, *d.* 8. Sed in

secundâ correcta est, ut in istâ editione patebit. *Falsissima est*, quia cum decalogus in Sinai latus, *Pentecoste* nondùm promulgata, nec recepta fuit, nec quidquam de eâ celebrandâ Judæis innotuit, quod postea demùm factum, *Exod. 23. v. 16. C. 34. v. 22 28. Lev. 23. v. 15. seq.* Non potest autem aliquid *latum dici in festo, quod nec promulgatum, nec receptum, nec unquam adhuc cognitum est*, Nequè in deserto Judæos *semel Pentecosten celebrasse è Mose* probari potest. *Historia latæ legis in Sinai* cum historiâ effusionis Spir. S. in Nouo Testam: conferri & comparari potest, non *a.* in Pentecoste veterum lex lata dici debet, quæ tùm adhuc nulla fuit.

56. 8. *An in memoriam datæ legis Pentecosten Judæi celebrârint?* Ita ijdem *Postillatores, & Papistæ* communiter. *V. Bellarmin. L. 3. d. cult. sanct. C. 13. Henricum Philippi in qu. Chronolog. Exod. 19. Riberam, Sanctium, Ex Reformatis Gualterum,* Ex *Nostris* Brentium *in C. 2. Act. Chemnitium C. 50. harmon. par. 1. Thummium d. festis p. 134. aliosq́.* Et hoc falsum esse è *Mosis* silentio liquet, qui nihil de eo, sed longè aliam festi illius rationem assignat. *Ut de* semente DEO grates agerentur, *& primitiæ* nouorum panum cum aliis offerrentur, *Exod. 23. v. 16. C. 34. v. 22. Lev. 23. v. 16. 17 Num. 28. v. 26. Deut. 16. v. 10.* Nec ullum festum in memoriam datæ legis specialiter institutum fuisse è Mose constat. Servitutis Ægyptiacæ in omnibus festis generaliter admonebantur, Deut. 16. v. 12. Sed de lege latâ nulla specialis festi institutio occurrit. 9. *Cur non citiùs & statim post resurrectionem vel ascensionem Sp. S. effusus? Quia* ordine omnia fieri debuerunt, & Christus plenè primum glorificari debuit, *Ioh. 7. v. 29.* Quod in ascensione factum, §. 15 Post ascensionem autem spatium aliquod inter effusionem intercedere debuit, quia aliquot post eam diebus hanc futuram à Christo prædictum erat, Act. 1. v. 5 Voluitq́ Christus hac morâ patientiam Apostolorum exercere, obedientiam probare, desiderium promissionum incitare, precandi studium augere, & ad perseverantiam ac concordiam in pietate inducere. *Convenientissimè* autem in *Pentecoste N. T.* facta, ut festum hoc peculiari miraculo ita initiaretur & nobilitaretur, §. 52. Peculiaris beneficii memoriæ & speciali in divinis personæ festum aliquod in N. T. consecraretur, quomodo *Natalitium* Patri, *Pascha* filio inprimis sacratum. Sic *Pentecoste Sp. S.*

ſpecialiter ſacra eſſet: Et miraculum ex diei ſolennitate illuſtrius redderetur, & in majore hominum copiâ uberior doctrinæ fructus eſſet; ac Judaicam abolendam, Novam ſucceſſuram eſſe inſinuaretur. Conf. t. 54. Qui legem in Pentec. latam cenſent, alias rationes habent. Sed dubium totum hoc eſt, t. 55.

57. 10. *Cur matutino tempore effundi voluerit, Act. 2. v. 15?* Quia eo tempore homines maximè vigiles, jejuni, attenti, & ad recipiendos DEI illapſus aptiores ſunt, auditores ad percipiendum & conſiderandum prodigium attentiores & perſpicaciores fuerunt, & hora iſta apud Judæos precibus aliàs deſtinata erat. Conveniens fuit, Vt Spiritus precum ſub ipſam Orationis horam illaberetur. Ac iſtâ ratione notatum eſt, Eos, qui Spir. S. capaces eſſe velint, jejunos & temperantes eſſe oportere, Non vitiis aut affectibus ebrios, in quos nunquam intrabit. *Sap. 1. v. 5.* 11. *An V.T. Pentecoſte figura & typus noſtræ in N. T. fuerit? Ita Papiſtæ* communiter. *V. Bellarm. c. l.* Et multa, quæ Iſraëlitis contigerunt, nobis in Figuram contigiſſe certum eſt, I. *Cor. 10. v. 6. An tamen feſta ipſorum Noſtrorum typi fuerint, & in* ſpecie, an de Pentecoſte ita fuerit, dubium eſt, Cum intentione & applicatione Sp. S. in N. T. hic deſtituamur, ex quâ inprimis veram typi rationem pendere in *Paſſional. §. 16.* dictum. De Paſchali feſto aliquid ex applicatione Pauli 1. *Cor. 5. v. 7.* pateat. De *Pentecoſte* nihil in ſacris habemus. Et quæ analogiæ hic quæri ſolent, incertis maximam partem hypotheſibus nituntur, *V. t. 55. 56.* 12. *Quo anno Mundi, ætatis Chriſti, Tiberii Cæſaris, Monarchiæ Romanæ, effuſio hæc facta?* Hæc ex præcedentibus, quæ de Nativitate & Reſurrectione Chriſti ſunt tradita, pendent. Mundi anno 4076. Ætatis Chriſti 34. Tiberii Cæſaris 18. *vel* 19. Monarchiæ Romanæ 78. vel 79. facta eſt, *V. Paſſional. §. 46.*

58. Ita *& quæ de loco ac tempore effuſionis* quæri poſſunt, diſcuſſa, adeoq; *effuſio cum connexis ſuis* tota *ſpectata*. Sequntur *Conſequentia ejus*, quæ tempore effuſionem illam conſecuta ſunt. Suntq; *propinqviora & Remotiora. Propinquiora*, quæ non ita multò poſt eam contigerunt. Suntq; multorum hominum ad Petri concionem converſio, Eorum in Chriſtum baptiſatio, Apoſtolorum & fidelium in dogmate, communione, panis fractione, & Oratione continuatio,

tinuatio, bonorum omnium communio, Miraculorum variorum perpetratio, Cœci claudi sanatio, & magnifica facti defensio, Apostolorum captivatio & dimissio, ad Deum seria pro fide Christiana precatio, loci Orationis commotio, iterata Sp. S. repletio, & alia, quæ *C.* 4. 3. 4. 5. *Actorum* descripta sunt. *Remotiora*, quæ longiùs ab ipsâ effusione distant. *Suntq; realia vel Notionalia*. *Realia*, quæ res & gesta quædam concernunt. Suntq; *Biblica*, ut quæ à C. 6. usq; ad finem *Actor.* narrantur, Et Ecclesiastica, Quæ ap. *Baronium sub ann.* 34. 40. *seq. aliosq;* legi possunt.

59. *Notionalia sunt, quæ ex hominum institutione, aut certâ consideratione ortum habent, & ad res adhibita sunt.* Suntq; *vel* æræ Chonologicæ, *vel* festi Pentecostes N. T. institutio, *vel modi* quidam loquendi. *Æra Pentecostalis N. T. qualis sit*, ex ærâ Passionis & Resurrectionis facilè colligitur. In eundem n: cum illis annum incidit. *V. Passional.* §. 57. *Et Paschal.* §. 61. *Festi* institutio ab Apostolis est, *ut* §. 54. visum. *Modi loquendi* sunt noëmata, quibus animi sensa commodiùs inter homines repræsentantur & proponuntur. De quibus quoad nostram materiam sequentia quæri possint. 1. *An Sp. S. imago filii dici possit? De hoc* §. 31. dictum. 2. *An à Patre per Filium procedere dici queat?* De hoc *c. l.* actum. 3. *Cur gratiæ & precum Spir. dicatur?* De hoc *c.* 11. visum. 4. *Cur voluntarius & spontaneus, Psal.* 51. *v.* 14? Quia voluntatem nostram ita immutat, ut spontaneè & hilari animo DEO seruiamus, & ad ejus voluntatem nostram componamus, peccata vitemus, & bonum eligamus; *Psal.* 110. *v.* 3. *Act.* 17. *v.* 11. *Esdr.* 2. *v.* 68. 1. *Pet.* 5. *v.* 2. Cum naturâ â DEO aversi eoq; repugnantes simus, ac nonnisi vi Spiritus ex repugnantibus voluntarii reddi possimus; *Act.* 7. *v.* 51. *Rom.* 7. *v.* 18. *C.* 8. *v.* 7. *seq.* 1. *Cor.* 2. *v.* 14. 15. Serviles pœnæ metu DEO obsequuntur: Liberi officiosâ mente promptoq; obsequio. *Rom.* 8. *v.* 15. *Seq.* 5. *An vicarius Christi dici possit?* Sic quidam, ut *Augustinus & Lapide in C.* 2. *Act. v.* 4. *Proprio sensu* non, Vicarius enim reverâ absentis est; At Christus Ecclesiæ præsens est, *Matt.* 18. & 28. Et perpetuum ejus caput manet. *Tropicè* sic dici possit, Quia in locum mundanæ Christi absentiæ ipse tanquam paracletus, Doctor, ductor, Corrector, & informator promissus erat, & suo tempore missus est, ac vices Christi velut repræsentat & exhaurit. Conf. §. 33.

60. 6. *Cur sæpiùs nomine aquæ & fluviorum in sacris repræsentetur? ut Esaiæ. 44. Ezech. 36. 37. & alibi, V. §. 8. 9. Partim* ut ad veteres purgationis per aquam ritus in V. T. præscriptos, *Num.* 19. *v.* 9 Seq. alludatur, *Partim*, ut Spiritum S. in spiritualibus ea præstare spiritualiter intelligatur, quæ aqua in naturalibus præstare solet naturaliter, ut terram arridam vegetare, rigare, mollire, fructuosam reddere, vivificare, regenerare, renovare, reficere, sitim exstingvere, Spiritum restituere, æstum refrigerare. *V. Plinium l.* 3. *N. Hist. C.* 1. *Similia* Spiritus S. spiritualiter præstat, ut *alibi* traditur. Renovat, reficit, sitim extingvit, duritiem emollit, vigorem reducit, sub æstu iræ divinæ torrefactis levamen & solatium præstat. *Aquis* nihil utilius, efficacius, præstantius, & communius: *Sic* Sp. S. in spiritualibus. *Aqua* aërem humectat, terram irrigat: *Sic* Spiritus S. arida liquat, sicca diffundit, & omnib. impedimentis Spir. major est. Infernum deiicit, Sathanã vincit, mortẽ prosternit, mundũ exspoliat, peccata tollit, pœnas trãsfert & mitigat, & in castigationes DEI piis immutat. *Aquæ* cœlũ & superiora ac inferiora sibi vendicant : *Sic* Spiritus superioribus pariter & inferioribus dominatur. *Psal.* 139. *v.* 7. *Esai* 32. *v.* 15. *seq. C.* 40 *v.* 7. *Mich.* 2. *v.* 7. *Zach.* 4. *v.* 6. *Sap.* 1. *v.* 7. Eædem vitalem Spiritum nubium obtentu strangulant, ut *Plin. C. l.* loquitur : *Sic* Sp. S. obtentu iræ impiorum vitam & spiritum elidit ut Ananiæ & Saphiræ, *Act.* 5. *Aquæ* terras devorant, flammas necant, in cœlo stantes mirabiles sunt, & gravissima pondera interdum subvehunt : *Sic* Sp. S. torporem terrenum animis eximit, motum igneum inserit, iræ divinæ flammas avertit, in nubibus sub columba, aut aëre sub lingvis apparens magnam admirationem circumfert, & mentes piorum in divinos excessus secum subvehit, ut contemptis temporalibus spiritualia sapere incipiant. Omnisq; boni in spiritualibus Dux, Author, & fons Sp. S est. *Rom.* 8. 1. *Cor.* 12.

61. 7. *Cur effundendi & fluendi voce communicatio ejus sæpè enuntietur, Vt Es.* 32 44. *Ezech* 36 *seq. V.* §. 8. 9. *Item Iohan* 4. *v.* 38? *Partim* ut donorum spiritus larga abundantia notetur, *Tit.* 3. *v.* 6. *Sic n.* Copia istâ voce notari solet, 1. *Sam.* 1. *Psal.* 42. 69. 79. *Rom.* 5. *v.* 5. *Partim* ut suavitas, gratia, efficacia, penetratio, *V. Luc.*

21. v. 15. *Act.* 4 5. 6. 7. 8. 9. 18. *V. t.* 33. 35. Et graduum diversitus insinuetur. Unde *Richardus serm. d. missione Sp. S.* tres gradus observat, *infusionem, diffusionem, Et effusionem*, cum ita replet, ut & supereffluat, & in alios effundi possit. Qui summus gradus est, & Apostolis contigit, *Act.* 8. v. 17. *seq. C.* 10. v. 44.

62. 8. *Cur unguenti voce interdùm adumbretur*, *Psal.* 45. v. 8. *Act.* 10. v. 38. 1. *Ioh.* 2. v. 20. 27.? *Partim* ut ad ungventum Regum & Sacerdotum in V. T. alludatur, & Christianos per Sp. S. in spirituales Reges & Sacerdotes ungi adumbretur, V. t. 12. *Partim* ut ad usus & effecta ungventi respiciatur. Ungventum ardorem & lumen ex oleo habet; mollit, sanat, maturat, discutit, constringit, laxat, mundat, detergit, & educit. Similia Sp. S. in Spiritualibus præstat, ut ex ante dictis intelligi potest. 9. *An. 7. dona Sp. S. vocare, eaq; Esai.* 11. v. 2. *annotata esse dicere liceat?* Ita vulgo apud *Postillatores*, *Papistas* quosdam, ac *Patres* nonnullos clasficè sentitur; *V. Durandum l.* 6. *Rat. C.* 10. 7. Sic in cantione, Veni Creator Sp. Tu septiformis munere, du bist mit Gaben siebenfalt. *Exclusivo sensu* id falsum est, nec n. septuplicia tantùm, sed longè plura Sp. S. dona sunt, etjam principalia, nam et justitiæ, & veritatis, & castitatis donum inter principalia dona est, unde notanter ipse Sp. S. Spiritus veritatis vocatur, Et in omnem veritatem ducturus dicitur, *Ioh.* 15. v. 26. *C.* 16. v. 13. Quæ tamen inter 7. illa dona usitatè non exprimuntur: Nec Esaiæ 11. Principalia Spiritus dona præcisè numerare institutum est, sed aliqua tantùm recensere, prout in Prophetiis aliisq; scriptis nonnulla interdum emphasios, evidentiæ, aut exempli causâ exprimuntur, non determinato, an tot numero sint, an plura. *V. Ezechiel.* 16. v. 49. 50. *Amos*, 1. v. 3. *seq. Rom.* 1. v. 29. *seq. Gal.* 5. v. 19. *seq.* Nec plura, quàm 7. esse præcisè negantur. In Apocalypsi quidem Sp. S. nomine 7. Spirituum repræsentatur, *C.* 1. v. 4. Sed per Metonymiam effecti pro efficiente, Non quòd præcisè 7. ejus dona sint, sed quòd varia, multiplicia, & perfecta. Quomodo in sacris numerum certum pro incerto ponere frequens est, *V. Psal.* 119. v. 164. *Esai.* 4. v. 1. Et septenarium numerum etiam perfectionis esse ex sacris constat: *Vel* quia in septem Ecclesias præcisè dona ista effusa erant â Spiritu S.

illisq;

illisq; pariter ab eodem gratiam & pacem precatur Apostolus. Unde 7. spiritus vocantur, quia 7. Ecclesiis Spiritus datus, & 7. Ecclesiis gratiam ac salutem à Sp. S. Apostolus precatus est. *Nec obstat, quòd in conspectu DEI esse dicantur Spiritus*, quò minus de Sp. S. id intelligatur. Simile enim & de Christo dicitur *Dan*. 7. *v*. 11. *Apoc*. 5 *v*. 6 7. Et de statu ipsius DEI in genere, *Psal*. 96. *v*. 6. ut non creati quid hinc inferendum. Ac dicitur ita de Sp. S quia pariter cum DEO & Christo in gubernatione Ecclesiæ præest & conjungitur, ac salus Ecclesiis pariter ab ipso optatur & exspectatur, *t*. 29. Quod à Creaturis fieri non solet. *Tropico & Metonymico sensu 7. dona dici possunt*, quia varia, multiplicia, & perfecta. Unde *Sap*. 7. *v*. 22. multiplex vocatur. Et 1. *Cor*. 12. *v*. 3 *seq*. multiplicia Ejus dona recensentur. Septenarius enim Universitatis est numerus, ejus enim revolutione omnia tempora complentur, ac super 7. trionibus tota cœlestis machina rotatur, Et perfectionis in sacris est. Unde ob tria & 4. scelera, *Amos*. 1. i. e. perfecta. Sic Septuagies septies remittere, i. e plenè, *Matt*. 18. *v*. 22. Septem abominationes in corde impii, *Prov*. 26 *v*. 27. i. e. variæ, perfectæ, & multiplices. *Confer & Gen*. 4. *v*. 15. 24. *Leu*. 26. *v*. 21. 24. 28. 1. *Sam*. 2. *v*. 5. *Psal*. 12. *v*. 7. *Ecclesi*. 11. *v*. 2. 10. *Cur, Cum de Spiritus S. beneficiis in Pentecoste agatur, ad festa tamen Christi a Scholasticis bonam partem referatur?* Ratio esse potest, quia Christus Spiritum S. promisit, tandemq; in Pentec. misit, & missio Spir. S. fructus abitus Christi ad Patrem est, *Joh*. 15. 16. 17. Et hoc die Christus rex montis Sion declaratus est. Prædicatio enim verbi ex Sion exeuntis signum non mortui, sed vivi, & ad dextram Patris exaltati Christi est. Hæc etiam de *Pentecostalibus & effusione Sp. S.* in honorem & gloriam ejus disceptata sufficiant.

Spiritus S. gratia,
Apostolorum pectora,
Replevit suâ gratiâ,
Donans lingvarum genera.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019245

